

DE
SERVITUTIBUS
REALIBUS

DISSERTATIO JURIDICA,

QUAM

Auxiliante Deo T. O. M.

PRÆSIDE

Amplissimo, Consultissimo, Excellentissimoq; Viro.

Dn. JOH. OTTONE TABORE,
ICTO, CODICIS ET PLACITORUM FEU-
daliū Professore celeberrimo, Patrono & Præce-
ptore suo omni observantiā profe-
quendo,

Solenniter discutiendam proponit

HERMANNUS Hopfener HANNOVERA-
BRUNSVIGIUS SAXO,
Autor & Resp.

In Auditorio Majori.

Ad Diem 23. Augusti. 1764.

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS-PHILIPPI MÜLBI,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI,

Anno M. DC. XLVII.

511.

n. 22.

AM

1647 5.

Jen. XV



SECRETI LIBRIS

DISSERTATIO JURIDICA

ANNO DOMINI 1784

PER

JOHANNEM OTTONEM TABAKER
CODICIS ET REACTORUM

HERMANNUS JOHANNES
BRUNSVIGIENSIS


ADDITIO

MARGENTORUM

JOHANNES PUBLIUM
ACADEMIAE

ANNO MDCCLXXXIV





THESIS PRIMA.



Viam fit non modo utilissima, sed etiam maximè necessaria servitutum cognitio, veteres, iique præclarissimi totius terrarum orbis legislatores satis docuerunt. Quippe docuit id Plato, de iis seriò agens in suis legibus (*in sua Rep. dial. 8 d. Legib.*) Solon quoque de iis seriò leges ferens. Docuerunt id Romani in rebus omnibus politicis perfectissimi, inter suarum XII. tabularum angustias multa de servitutibus graviter inferentes, quæ intelligebant in hac dominiorum distinctione, & rerum tamen conjunctione, maximè publicam tranquillitatem fovere; prospiciebant nimirum viri prudentissimi ex hisce, quantumvis primâ facie levibus & minutis, maximas dissensionum causas, gravissimosque in Republica tumultus oriri posse. Itaque & Cicero meritis laudibus eos effert, quod tantâ diligentia emicuerint, ut omnia omnium etiam tenuissimarum rerum jura persecuti sint. Sed ut cætera taceantur, docent id quotidianæ de hisce rebus in foro litium ventilationes decisionésque, quibus facilè quivis, solidæ cognitionis cupiditate vel leviter affectus, ad diligentem huius materiæ perscrutationem allici potest. Quare, licet materiæ huic utilissimæ, non exigua quidem difficultas quoque conjuncta sit: (ut communiter evenire solet, difficilia esse quæ pulchra sunt,) dignissima tamen eius nobis cognitio visa est, quæ studio adhibito excolatur. Hinc quoad materiæ series diffusa, occurrentium quæstionum copia, & opinionum

A 2

varietas



varietas passa est, brevem hanc servitutum Realium tractationem, pro ingenii nostri modulo instituire, & Academi-
cæ disquisitioni, solennis exercitii gratiâ submittere volui-
mus. Humanissimum Lectorem obnixè rogantes, ut hunc
laborem, suo fortassis autore non indignum, non tamen a-
lio fine, quàm veritatis inquirendæ, & amplectendæ studio
susceptū, Prætoriâ magis æquitate, quàm Censoriâ severitate
judicare, & studia nostra, licet parum profutura, tamen co-
naturaprodesse, sibi commendata habere non dedignetur.

II. Nunc ad rem ipsam, absque longa verborum cir-
cuitione accedendo, quinque summis capitibus omnem
realium servitutum tractationem includere tentabimus.
Primò variam vocis servitutis acceptionem, & ad propositam
materiam restrictionem, *Secundò* generalem servitutis rea-
lis definitionem & divisionem; vnâ cum singularum specie-
rum definitionibus, *tertiò* constitutionem & acquisitionem,
quartò effectum, & *quintò deniq;* servitutum realium tollen-
darum modos proposituri. Adsit nobis ille, cuius sine Nu-
mine nihil est in homine.

III. Servitutis vox à *serviando* dicta est, & non unam in
jure nostro significationem habet: præcipuè autem duplici-
ter apud Ictos accepta reperitur. *Interdum* enim conditio-
nem & qualitatem hominum, dominio & potestati alienæ
subiectorum, denotat; *non raro* etiam qualitatem & jus re-
rum, alteri alicui rei, vel personæ, in cuius dominio non sunt,
utilitatem & commoditatem præstantium.

Prior acceptio voci est propria, quâ res suo servit domino,
quemadmodum servitutis vox *t. t. ff. de stat. hom. & l. de jure persona-
rum* sumitur; *posterior* verò ad similitudinem prioris per translationem
est introducta, quâ servitutis nomen privativè dominio opponitur.

IV. Quæ duplex vocis acceptio, est ex duplici servitu-
tum genere: Personarum videlicet & Rerum Servitute, qua-
rum prior à proposito nostro est aliena.

l. i. d. Servitut. Nonnulli autem Dd. inter quos *Cæpolla tr. de ser-
vitutib. c. 1. & 3.* tria agnoscunt servitutum genera, addendo *Mixtum*
ganus

genus genus; cuius generis servitutes si conferantur cum servituti-
 bus personarum & rerum, de utrisq; participare videantur, cum à re
 debeantur personæ, ut sunt : Ususfructus. Usus & Habitatio. Quæ
 etiam est opinio Glosæ ad pr. l. d. servitut. addentis insuper quartum
 genus: quando persona servit rei, arg. l. Titio centum. 71. §. 2. de condit &
 dem. Sed hisce nos subscribere non patitur veritas. Nam quas illi
 mixtas appellant servitutes, verè reales sunt, & ex personarum ser-
 vitude nihil participant; sed ab eadem toto genere distant, & tam in
 subjecto serviente, & ipso serviendi modo, quàm in actionibus pro-
 ducendis perspicuè differunt. In personarum enim servitude perso-
 na, in servitude rerum, res servit, & inde rectè denominantur ambæ.
 Præterea in personarum servitude persona servit suo domino; in rea-
 libus dominatur aliquis non dominus : siquidem in illis res suo ser-
 vire domino nequit. l. uti frui. §. si ususfr. per. Personarum porro ser-
 vitus ad jus personarum; cæteræ v. ad jus rerum spectant. Ex perso-
 narum servitude oriuntur actiones præjudiciales, §. præjudiciales. 13.
 l. de actionib. Rerum verò servitutes confessoriam & negatoriam pro-
 ducunt actionem, §. equè. 2. l. de. actionib. Quartum quoque Glosæ ge-
 nus non rectè ad hæc servitutes, sed rectius ad obligationum con-
 ditiones, & præstationes personales referri arbitramur.

V. Servitus rerum est jus in re constitutum, quo adimi-
 tur aliquid libertati quam dominus in re sua habet, afferens
 commodum personæ vel rei alienæ.

conf. l. 13. de. servit. Hæc servitus rerum ad servitutis perso-
 narum similitudinem est introducta, propter necessarium usum
 & commoditates quas humanæ societati præstat egregias, inque
 his res, amissâ eâ facultate quæ illi pro libertate affingitur, servi-
 re videtur : quippe cum ea sit rerum omnium quasi natura, ut in
 dominio hominum esse velint, & quo magis in jure ac potesta-
 te sint sui domini, eo magis sint liberæ. Quemadmodum verò
 libertas rerum est, dominis suis subesse, & utilitatem parere, ita
 è contrario earum servitus est alteri quàm suo domino subesse. Di-
 citur autem in definitione servitus jus esse, id est, in jure consistere
 non respectu servientis : tunc enim privatio esset libertatis, aut de-
 minutio sui juris. l. de pupillo. §. 9. in fin. de oper. nov. nunt. Sed respectu
 dominantis. Dicitur (itidem) ius, ut cæteræ res incorporales, §. un. l.
 de reb. corporal. in med. l. Et habet. §. 2. de precar. l. 1. de. S. P. R. l. 1. de R. D.
 & quidem jus in re constitutum, expresso genere proximo: jus enim re-



rum non est uniusmodi; sed dispescitur *in jus ad rem*, quale jus est obligatio; & *in re*, cuius quinque numerantur species: dominiū, Servitus, Possessio, Pignus & Hereditas, in quibus secundū locum obtinet servitus. Cætera definitionis nostræ verba exprimunt effectum harum servitutū, qui alius est ex parte dominantis; alius item ex parte servientis. Et dominus quidem pati quid aut non facere in suo cogitur, ad quod libertatis jure inspecto obstrictus non est, *l. Quotiens 15. §. 1. de servitut.* Ex parte autem servientis, effectus est, in commodum alterius personæ aut prædii hanc servitutem constitui, aliàs constitutio nulla est *d. l. Quotiens*, quorsum enim invidæ illæ conventiones quibus vicinis rerum suarum usus & libertas impeditur, si nullum alterius verferetur commodum? & quid conduceret mihi, alienorum prædiorum jus impositâ servitute minuire, quæ nullo modo meam auget commoditatem? unde semper quemadmodum ex parte servientis debet adesse patientia domini; ita ex parte dominantis requiritur usus, seu actio quam alter patiatur *d. l. Quotiens*. Sed tamen quamvis hodie fortè non interfit, si aliquando interesse possit, promissio valet, inducitque jus & obligationem; licet exercitium ad tempus præsentis utilitatis differendum sit: sufficit enim futuræ commoditatis autoritas servitutis impositioni, & de hac loquitur lex *Ei fundo. 19. de Vsufr. junctâ l. si infantis. 55 eodem*; vide Joan. del Castillo *tract. de Vsufr. cap. 49. n. 11. & seqq. Costal. in advers. ad d. l.*

VI. Hæc, ratione objecti, quod est vel persona vel res, seu prædiū, in Personalem & Realem seu Prædialem dividitur.
l. 1. de servitut. & hæc duæ species rectè sub eodem genere continentur idque totum exhauriunt: nec enim personalis servitus minus ad rerum servitutem, quam realis spectat: cum & in illa res serviat de quo *th. 4.* satis dictum est. Personales autem dicuntur, quod certæ alicui personæ ita constituentur, ut cum illa simul intendant & expirent, si interim alio certo modo non sint finitæ, *l. Non solum. 8. §. 3. de liberat. leg. 1. In omnibus 68. l. Privilegia. 196. de R. I.* Reales ita vocantur, quod rem ipsam, non verò personam, tanquam conditiones & extrinsecæ qualitates rei coherentes, sequantur, & ad novum dominum transeant, *l. Traditio. 20. §. 1. de A. R. D.* Hæc autem strictiori nomine Prædiales appellantur: *Gl. ad l. si quis unas. 32. de Vsufr.* rei enim appellatio nimis larga est, mobilia & immobilia simul complectens *l. Rei applleatione. 32. de V. S. l. 1. si cert. pet. §. un. l. de reb. corporal.*

574
n. 22

poral. Prædii v. nomen immobilibus saltim convenit l. *Quæstio. 115.*
d. v. s.

VII. Est autem personalis servitus, quæ in re aliena constituta, personæ, non rei debetur.

VIII. Ejus tres numerantur species: Ususfructus, Usus & Habitatio.

l. si quis unus. 32. de Vsufr. de quibus agit totus liber VII. ff. Sed de his hac vice agere non est instituti nostri: cum antehac in Academia Julia publicâ quadam disputatione à nobis, pro ingenii modulo, pertractatæ sint.

IX. Servitus realis seu prædialis (*de qua præsens instituta proponitur dissertatio*) est, quâ prædium aliquod vicino prædio commoditatem aliquam præstare cogitur.

Manifesta hinc est personalis & realis servitutis differentia: ut enim in illa res certæ personæ, ita in hac res certæ servit rei, puta prædio, eique debetur. Quamvis enim & reales servitutes initio personæ constituentur, & propterea personæ deberi non malè dicantur: *l. de servitutib. 2. si servit. vindic.* tamen quia non nisi prædii gratia constitui possunt, eundemque etiam murato dominio perpetuò comitantur, figuratâ locutione dicuntur magis prædio deberi quâ personæ. Requiritur autem ad hanc servitutem duo prædia sine quibus servitus constitui non potest, *l. 1. comm. prædior.* quorum unum dicitur *dominans*: quod commoditatem illam ab altero prædio debitam habet; alterum autem *serviens*: quod alteri prædio commoditatem debet. *l. via 24. §. 2. de s. p. r.* quæ necesse insuper est esse vicina, *l. Mela 14. §. ult. de aliment. legat.* tam in urbanis quâ rusticis prædiis indifferenter: quod licet non pauci in urbanis negent, accurata tamen singularum specierum inspectio, in urbanis non minus quàm in rusticis prædiis quoad servitutis impositionem, vicinitatem requiri, evincit. Semper enim in hac materia vicinorum prædiorum fit mentio *per t. r. d. s. v. p.* quin imò natura urbanarum servitutem majorem prædiorum vicinitatem in genere requirere videtur, exceptâ fortassis servitute altiùs non tollendi & ne prospectui officiat, quæ etiam à remotioribus & non tam proximè vicinis ædibus deberi possunt: *l. si ædes meæ. 38. d. s. v. p. l. Loci corpus. 4. in f. cum ll. seqq. si servit. vindic.* si nimirum ædes intermediae sint humiles. *l. Et ideo. 5. l. Et si fortè. 6. d. r.* Eatenus igitur & tam



& tam diu utilis erit hæc servitus, quamdiu dominus intermedius non extulerit ædes: Et de his intelligendum quod Ulpianus in *l. si quis, 6. comm. prædior.* dicit: Parvi referre vicinæ sunt ædes quibus imponatur servitus, an non. uti rectè contra Treutl: probat Bachov. *disp. 17. th. 1. lit. B.* secutus Donell. *11. comm. 2. num. 30.* Verùm cum ab una vel altera specie ad totum genus malè inferatur universaliter concludendo, nihilominus vicinitas in urbanis servitutibus in genere requiri rectè dicitur. Nam & nonnullas servitutes rusticas, distantia aliquâ prædiorum minimè impediri patet ex *l. Servitutes prædiorum 14 §. 2. de servitut. l. Flumine. ult. d. S. P. R. l. 1. de S. V. P. l. in tradendis, 7. §. 1. com. prædior. l. post venditionem 16 §. 2. d. aqua pluv. arc.* Prout igitur exinde non inferitur: In servitutibus rusticorum prædiorum vicinitatem idèd non requiri; ita nec in urbanis fieri debet.

X. Hæc pro prædiorum diversitate in Urbanam & Rusticam subdividitur: quarum illa urbanis, hæc rusticis prædiis debentur.

l. de servitut. urban. & rustic. præd. t. t. ff. d. S. V. P. t. t. ff. d. S. P. R. Prædia qualitate & genere usus distinguuntur: quædam enim potissimè habitationis, ut & recreationis, mercaturæ &c gratiâ sunt & urbana vocantur; licet in vico fortè aut villa, non in oppido sita *l. 1. comm. prædior. l. urbana prædia. 198. d. V. S.* ubi Ictus, urbanum prædium non locum facere, inquit, sed materiam: materiam intelligimus non ex qua, (quasi alii lapides & alia ligna sint extruendis rusticis prædiis ac in urbanis necessaria) sed circa quam seu objectum, hoc est: res, circa quas constitutio urbani prædii versatur, quasque in sese ipsum prædium continet; Quædã verò fructuum ferendorum aut pecorum vel fructuum servandorum causa, vel alterius eiusmodi usus gratiâ parata sunt, & rustica dicuntur prædia. Nam non ea solum quæ ædificio tectoque carent rusticis prædiis sunt annumeranda, ut nonnulli statuunt, omnia ædificia urbana prædia esse contendentes *Hotm in epit. ad tit. d. S. P. V. princ. Bocer. cl. 4. D. 7. th. 11.* sed nonnulla quoque ædificia: veluti tuguria, quæ ad rerum rusticarum custodiam spectant, *l. Tugurii 18. de V. S.* stabula quæ jumentis & gregibus continendis inserviunt, *l. Eo jure. 4. §. stabula. 1. In quib. caus. ping. tac. contrah.* Hinc Columell. *lib 1. c. 6.* villam partim ex rusticis partim verò ex urbanis ædificiis constare scribit: locus enim cultior & pars ornatior villæ, quæ sibi ad inhabitandum composuit

575.
n. 22.

posuit dominus, non rustico, sed urbano usui destinatus est, & sic prædium urbanum. Sic familia, supellex, &c. qualitate & genere quoque usus in urbanam & rusticam distinguitur, ut Labæo ait: *l. Quemadmodum. 12. de supell. leg.* In quæstione verò utrum urbana vel rustica sit quædam servitus? videndum est num de substantia, num v. de usu servitutis quærat? *illa* ex natura, origine & causis propriis ponderanda; *hic* & ex accessione æstimandus: quatenus videlicet ad utilitatem vel urbani, vel rustici prædii servitus est accommodata, & tunc ex prædio dominante, tanquam digniori, nullo prædii servientis habito respectu, servitus denominatur. e. g. Licere altiùs tollere & officere prætorio vicini, per se & origine urbanæ sunt servitutes: prædiorum tamen rusticorum dicuntur, *l. Prædiorum rusticorum. 2. d. S. P. R.* cùm nimirum rusticis prædiis constitutæ sunt. Itaque servitutes, *occasione usus*, etiam mutatâ suâ naturâ nomen accipiunt, pro qualitate prædiorum dominantium.

XI. His præmissis, utriusque præcipuas species, & quidem primò servitutes urbanas breviter exponemus.

XII. Urbanarum autem servitutum plures numerantur species; quarum quædam affirmativè, quædam negativè sunt conceptæ: Altiùs tollendi & officendi luminibus vicini, aut non extollendi, ne luminibus, & ne prospectui officiat, item stillicidium avertèdi in tectum vel aream vicini, vel non avertendi; item tigna immittendi in vicini parietem, item oneris ferendi, & denique prospiciendi protegèdive, cæteraque istis similia.

XIII. De singulis ordine acturi, species hæc ratione vel prioris commoditatis retinendæ, vel novæ acquirendæ, distinguimus.

XIV. Prioris commodi retinendi finem habent servitutes illæ negativè conceptæ: altiùs non tollendi, ne luminibus officiat, ne prospectus offendatur, & stillicidii non avertendi.

In servitutibus hæc hoc præsupponitur, priorem ædium vicinarum statum, jure libertatis ita formatum, profuisse vicino, puta Titio, qui metuens ne ista commoditas jure licito à vicino Cajo sibi

B



sibi interrumpatur, id agit, quo jure servitutis ista commoditas à vicinis Cajanis ædibus sibi constituatur, quo facto, ædificandi libertas Cajanarum ædium quocunque futuro domino & possessori ita restringitur, ut invito vicino nihil contra veterem commoditatem facere possit.

XV. Altiùs non tollendi servitus est, quæ naturalem ædificandi libertatem alicui ita restringit, ut ultra certam, vicinóque utilem altitudinem, invito eo ædes suas extollere prohibeatur.

Restringi hac servitute naturalem ædificandi libertatem perspicuum est: nam secundum eam liberum est cuilibet ædificare in infinitum *l. altius 8. C. de servitut. & cum eo qui tollendo obscurat vicini ædes, quibus non serviat, nulla competit actio. textus in l. Cum eo 9. de. S. V. P.* Quatenus autem hæc servitus vicinarum ædium restringat libertatem, illud ex modo constitutioni adjecto sumendum est, hunc enim ædificando excedere nequit: arbores tamen debitum modum seu altitudinem excedentes, & viridaria habere, legibus ipsi permittitur *l. Ædificia. 12. d. S. P. V.* Præterea vicino utilis esse debet hæc altitudo ex imposita servitute observanda, propter ea quæ supra th. s. notata sunt. Dicimus porro invito eo, sc. vicino, quod si verò is consentiat, vicinóque altiùs tollere permittat, omnino altiùs tollere licebit *l. si domus 21. de. S. P. V.*

XVI. Servitus *Ne luminibus officiatur* est, quæ constitutâ vicinis invitis nobis lumina nostrarum ædium vel altiùs ædificando, vel quovis alio modo minuere prohibetur.

l. Luminum. 4. d. S. V. P. l. Inter servitutes. 15. & seqq. eod. Lumen, notante Paulo, *in l. Lumen 16. d. t.* est, ut cœlum videri possit: puta, ut quis in domo vel camera constitutus, cœlum directò & sine interpellatione videre possit, non capite extra fenestram emisso, aliàs cœlum non videri rarò contingeret. *Capol. tract. de servitut. c. 36. num. 1.* & quoniam lumen illud de cœlo veniens per fenestras ædes & conclavia illuminat; hinc fenestræ quoque lumina non rarò dicuntur *Q. l. eos. penult d. S. P. V.* Hic sese nobis ista elegans inter Ictos diu agitata & diversimode decisa offert quæstio: An naturali ædificandi libertate cuiquam liceat in suo pariete fenestras extruere, puta versùs vicini aream? Negat id ipsum Cujac, *1. obs. 31. corrigens iccirco vulgatam legis pen. d. S. V. P. lectionem; Duar. disp. annivers. lib. 1. c. 33. & tenacissimè inter*

inter plerosque recentiorum Valent-Riemer *decad. 4. q. 9.* Jure solùm
 servitutis constitutæ id licere contendentes; Sed quemadmodum
 ædes suas altiùs tollere, etiamsi vicinarum ædium lumina minuun-
 tur, licet, *per th preced.* ita etiam fenestras in proprio pariete, luminis
 excipiendi causa positas habere pari ratione cuivis, jure communi
 concessum esse arbitramur, per ea quæ tradunt Hot. 2. *Amic. resp.*
 31. Donell. 10. *comm. 5.* Bachov. *ad Tr. D. 17. th. 3. lit. A.* Bocer. *Cl. 4. D. 7.*
th. 50. & novissimè Petr. Clasen. *de controv. servit. mat. concl. 5. n. 12.* Vi-
 cinus verò pari liberate, contra ædificando, luminibus illis obstrue-
 re potest; nisi jure servitutis huius constitutæ impediatur: quemad-
 modum intellectam volumus *l. Eos. 40. d. S. V. P.* Cæterùm huic servi-
 tuti magna cum aliis est convenientia & similitudo, à quibus tamen
 meritò discernenda est Et primò sunt, qui eam cum servitute *altiùs non*
tollendi eandem esse asserunt, ut qui illam obtinuit, & hanc simul ade-
 ptus videatur. Cujac. 17. *obs. 35.* Donell 11. *comm. 5.* Hotom. *ad §. 1. l. d.*
servitutib. Sed quamvis hæc servitutes hactenus inter se sint similes,
 quod maximè sublatione ædium luminibus officii soleat, *arg. l. lumi-*
num. 4. d. S. V. P. & propterea vel copulativè, vel per modum causæ si-
 ne copula interdum jungantur: nihilominus tamen perspicuè
 differunt, cum & aliis quoque modis lumina impediri possint: puta
 latiùs protendendo, imò tollendo, sic deprimendo ædes, aut arbores
 ponendo *l. si arborem 17. pr. & §. 2. d. t.* Plus igitur est in hac servitute
 quàm in illa altiùs tollendi: ut qui habet servitutem non altiùs tol-
 lendi, non continuò habeat servitutem luminibus non officiendi:
 tametsi contrariò quidem, qui servitutem habet luminibus non offi-
 ciendi, etiam illam, non altiùs tollendi habeat, vide Wesenb. *parat. de*
S. V. P. num. 4. Ant. Fab. *lib. 16. conj. 15.* Andr. Gerh. *dec. 2. q. 2.* Arum. *exerc.*
§. 9. 9. Valent Riemer *quest. illustr. decad. 4. q. 10.* Vicina quoque est huic
 servituti, *Servitus Luminum.* Illa enim est: quando vicinus lumina no-
 stra excipere cogitur; quod & jus fenestræ dici potest. *Gaj. 2. Instit. c. 1.*
 §. 3. quo id adquisitum videtur, ut vicinus certas quasdam fenestras
 & lumina nobis obscurare nequeat: hoc enim quæcunque servitus
 luminum, quæ aliàs inutilis futura esset, necessariò secum trahit. Sed
 hæc commoditas ad certum locum restringitur, & magis novorū lu-
 minum constitutionem respicit, servitute ne luminibus officiatur
 univèrsum fundum, & conservationem priorum luminum respici-
 ente. Costal. *ad. d. l. luminum.* Bach *ad Tr. D. 17. th. 3. lit. A.* Potest igitur
 dominus,



dominus, cuius prædium servitatem luminum debet, ædificare & quidvis facere, modo lumen certum vicino relinquat, non attento quod Cæpolla hac de re cap. 35. d. tract. aliter commentus est. Qui verò, ne luminibus officiat, debet, nihil planè quo lumen vicini minuatur facere potest, quãvis lumina vicino abunde suppetât. Quare non malè dici putamus, has virtutes, non tam specie, quàm secundū quid, atq; plus & minus distinguendas videri, cum Paul. Castr. ad l. Luminum d. t. Bachov. ad Tr. D. 17. th. 3. rit. 4. Quomodo verò recensitæ servitutes à servitute Ne prospectui officiatur differant, jam sequetur.

XVII. Ne officiatur prospectui, servitus est, cùm vicinus gratiorem, & quaqua versus liberum ex nostris ædibus prospectum impedire prohibetur.

l. Inter Servitutes. 15. d. S. V. P. & l. seq. eod. Dd. ibid. Prospicere significat procul & longè aspicere omnia quæ aspectui subjici possunt, ut notat Donell. ii. comm. 5. & tam ex inferioribus, ex quibus lumen hauriri non potest, quàm superioribus locis prospectus esse potest, *l. Lumen 16. d. S. V. P.* Ejusmodi autem liberrimum aspectum vicinidum libertate suâ utuntur, ædificando, vel arbores aut viridaria ponendo licitè offendunt, *arg. l. sicut 8. §. Aristo. 5. si serv. vindic.* nisi servitute hac impositâ, omnia quæ prospectui nobis debito impedimento esse possint, intermittere cogantur *d. l. 15. d. S. V. P. l. Ædificia 12. eod.* Hæc verò servitus affinitate junctâ est servituti Prospectus, ita ut eas pro una eademque habeant Donell. ii. comm. 5. Bocer. cl. 4. D. 7. th. 49. & plerique alii. Sed diversas potius eas esse statuimus, ita: ut perinde ut servitus ne officiatur luminibus, & servitus luminum, ita & hæ secundum plus & minus, & ratione novi prospectus acquirendi, & prioris retinendi distinguendæ videantur, *arg. l. Si à colono, 89. d. V. O. vide Bachov. ad T2. D. 17. th. 3. lit. C.* Neque enim nobis placet Cæpollæ sententiâ *tr. de Servitut. c. 34.* nimis latis intervallis hæc servitutes distinguētis (quod nepe prospectū debens teneatur aliquid facere & remove; ei verò qui ne prospectui officiatur debet, satis sit nihil contra facere) siquidem accidentis alicuius intuitu servitus prospectus plenior quàm illa, ne prospectui officiatur, dici non debet. Vicina insuper est hæc servitus, ne prospectui officiatur, servitutibus præmissis, altiùs non tollendi, & ne luminibus officiatur, à quibus tamen ut excedens ab excessis differt, & eatenus saltim cum illis convenit quatenus id omne quod prædictis servitutibus impedimento est

517.
n. 22.
est, etiam in prospectu inhibeat *l. Aedificia, 12. d. S. P. V.* in prospectu enim id amplius quis habet, quo gravior & liberior prospectus, tam ex inferioribus quam superioribus praedii locis à vicino praestetur; in luminibus verò illud tantum cavetur, ut lumen supernè veniens aedes meas & conclavia illarum illustrare per vicinas aedes non impediatur *l. inter servitutes 15. de. S. V. P.* ubi non in alienum inspiciendi, sed luminis recipiendi causa fenestra potissimum constitutæ praesumuntur, ut potius sint luciferae quam prospectivæ. vide Bachov. *d. D. th. 3. lit. A.* Non extollendi servitus verò solam tantummodo aedificationem, quoad altitudinem prohibet, permittens alia & lumen & prospectum impediens, ut superius suis locis declaravimus.

XVIII. Sequitur servitus Stillicidii non avertendi; cuius duplex apud Dd. reperitur consideratio, quarum utramque sustineri posse arbitramur: (1.) Ut eâ constitutâ, vicinûs stillicidium suum in aream vicini avertere seu derivare nequeat: licet vicinus vigore legis vel consuetudinis loci id ipsum recipere teneatur.

Aptè convenit hæc interpretatio cū § *praedior. urbanorum 1.1. de servitut. ibi: vel non recipiat l. urbanorum praed. 2. ibi: aut non avertendi d. S. V. P.* quæ loca dicto modo interpretantur Donell. *11. comm. 5. Boc. cl. 4. D. 7. th. 51. Myns. ad. d. § 1.1. de servit.* Locus est huic servituti, hoc modo intellecta, si pacto alicui remittatur à vicino consuetudinis vel legis illius observatio, quæ vicinis stillicidia vicinarum aedium recipienda alicubi injungit: talis namque conventio hoc operatur, ut huius vicini aedibus, (quibus remissum est) stillicidii receptio nunquam invito domino obtrudi possit. Et hoc modo sumpta servitus non prioris commoditatis retentionem, sed noxæ acquisitionem spectat. Vicina est huic servituti alia servitus quæ vocatur Fluminis non avertendi, quarum tamen diversitas vel ex ipso nomine haut difficulter arguitur *stillicidium* enim dicitur quasi stille cadium, eò quod aqua stillatim seu guttatim de tecto cadat; *flumen* verò à fluendo est, & in hac materia denotat aquam in alveum canalémve receptâ, quæ deinde in aream cum impetu fertur. Sic stillicidium semper ex superiori, flumen verò plerumque ex inferiori loco constituitur, ut ex Varrone notant Connan. *4. comm. c. 10. n. 16.* & Giphon *ad. d. §. 1.1. de servitut.* idque satis innuit Paulus dum dicit: Si stillicidium inferius demittatur pro stillicidio flumen fieri *l. Servitutes 20. §. 4. d. S. V. P.*

B 3

XIX. (2.) Ut



XIX. (2.) Ut quis aquam pluvialem, ex suo tecto in vicini aream tectumve cadentem, aliò avertere non possit, sed vicini prædii usibus relinquere cogatur.

Duaren. *in comm. ad tit. ff. de S. V. P. in princ.* Cœpolla *d. rr. c. 29.* Theoph. Cujac. Wesenb. Schneidevv. *ad §. prædiorum urbanorū. l. 1. de servitutib.* Servitute hoc modo sumptâ, perspicuū est, avertere stillicidium non posse, prædii esse servientis, & non idem esse quod recipere cogi: quemadmodum th præcedenti & infra th. 23. hæc phrasis accipitur: sed idem hic est quod aliò vertere non posse, sed in loco suo relinquere cogi. Dicimus autem aliquem suam pluvialem aquam non posse avertere: quo sciatur, in hoc sensu præsupponi, quod ante servitute impositam jus avertendi habuerit: eius namque respectu servitus est passiva; ex parte verò eius cuius in aream tectumve stillicidium cadit, servitus est activa: eius siquidem usibus aqua pluvialis aliena inservit; dum vel ad cisternam implendam, vel prata hortorumve suos irrigandos, vel alio quocunque modo istâ aquâ utitur: quamvis damnosum aliàs sit, stillicidium vicini recipere, ad quod libertatis jure inspecto nemo tenetur *l. Servitutes 20. de S. V. P.*

XX. His absolutis, jam sequuntur species novæ commoditatis acquirendæ finem habentes: cuiusmodi sunt cæteræ servitutes urbanæ omnes, quarum præcipuas similiter annotabimus.

XXI. Inter has verò rectè computari censemur, Altiùs tollendi servitute: quæ dupliciter consideratur (I.) ut vicinus pati cogatur, vicinum altiùs tollere ædes suas.

Difficilis hic est articulus, dubiis interpretum sententiis referatissimus, pro cuius intellectu breviter dicimus: Jus altiùs tollendi diverso respectu speciem libertatis & servitutis esse: quatenus enim mera ista facultas cōsideratur, quâ in suo ædificare cuiusvis licet, adeo, ut si possibile foret, vel ad cœlum usque suas extollere ædes nemo prohibeatur, permittente & postulante id ipsum naturali prædiorū libertate *l. Imperatores 4. d. S. P. V. l. altiùs. 8. C. d. servitut. & aq. & ibidem interpr.* eatenus libertatis est species. Cùm autem hodie hæc dicta libertas in nonnullis locis, ob ruinas inde imminentes, vel sumptibus exitiosos aliàsque rationes, vel lege, vel consuetudine sit restricta, ita, ut priorum ædificiorum, vel aliàs certam altitudinem nemi-

ni,

ni, invito vicino, ædificando excedere liceat (qualem formam mo-
 dumque ædificandi Romæ, Constantinopoli, atque in Provinciis
 aliquando constitutam fuisse constat. *l. qui luminibus. xi. d. S. V. P. l. i. C.*
§. servitut. & aq. l. i. C. de ædificiis priv. idem de Florentia testatur *Gl. ad d.*
l. ii. Norimbergæ hodie quoque similis est observatio, *vide reform.*
Norimb. tit. 26. l. 3. pr. & seq. inde fit ut jus altiùs tollendi servitutis spe-
 cies dici possit: videlicet si in illis locis vicinus pacto alicui permittat
 præter usitatum morem, priorémque ædium formam (si ista obser-
 vanda veniat) ædes suas altiùs tollere: tunc enim is servitutum altiùs
 tollendi habere dicitur. *l. urbanorum prædiorum 2. de S. V. P. l. rusticorum*
prædiorum 2. d. S. P. R. ut vel invito quocunque vicinarum ædium
 istarum domino altiùs ædificare hoc jure possit. *arg. l. si domus xi. d. S.*
V. P. l. egi tecum. 26. d. except. rei. jud. & contra impediens confessoriã
 actione, quæ servitutum propria est, experiri *§. æque 2. l. d. act.* Hæc
 est sententia in qua & Corasius reprobatis pluribus aliis tandem re-
 fidet *ad. l. i. de servitut.* Deinde quoque altiùs tollendi jus servitus est
 in eo casu, ubi tuæ ædes altiùs non tollendi servitutum ædibus meis
 debebãt, si ego deinde tibi cõcesserim vel me invito altiùs tollere æ-
 des tuas, *vid. Cuiac. in recit. ad l. 15. in f. d. servit. C. A. de S. P. V. th. 27.* licet hæc
 sententiam rejiciat Corasius d. l. Neque enim moramur dicentem:
 Pacto non constitui de novo servitutum, sed ante constitutam tolli,
 & pristinam libertatem iterum induci. Aliud enim est simplex juris
 altiùs non tollendi remissio; aliud item nova juris altiùs tollendi
 constitutio: priori casu quæsita est ædibus tuis libertas vetus, liberum
 v. mihi similiter est meas ædes extollere; posteriori autem id conse-
 cutus es, ut ego te liberè ædificantem pati cogar, nec contra ædifi-
 cando, vel ullâ aliâ ratione te turbare queam. *d. l. altiùs. 8. C. de servitut.*
l. si in ædibus. 9. C. eod. vide Frantz. exerc. 5. q. 2. num. 2. & seqq. Ludvv. disp.
ad l. 5. th. 6. lit. f. Clasen. tr. de controv. servitut. mat. concl. 6. num. 9. His ita
 positis illis suffragari minimè possumus, qui Jus altiùs tollendi &
 non tollendi unam eandemque esse servitutum diversis nominibus
 appellatam malè contendunt. *Connan. 4. comm. 7. n. 12. Bach. de act.*
D. 2. th. 22. Nam (1) discrimen harum servitutum apertè constat *ex d.*
l. urbanorum prædiorum 2. d. S. V. P. à qua minimè erit recedendum (2)
 Ubi semel constituta est servitus altiùs tollendi, ut quis vicino invi-
 to ædes suas possit altiùs tollere, vicinus (uti dictum) contra tollere
 non potest, atque ita cessat respectus ille, quo Bachovius putat eum
 cui



cui constituta est dicta servitus, videri non habere jus altius tollendi. Quare (3) inanis videtur eiusdem subtilitas in notis ad Wesenb. Parat. d. S. V. P. n. 3. quasi hæc formula: ajo mihi jus esse altius tollendi, sit actionis negatoriae, & altera: ajo tibi non esse jus altius tollendi, confessoriae, ut infra th. 47. pluribus videbimus.

XXII. (2) Ut quis in commoditatem vicini ædes suas altius tollere cogatur.

arg. l. si arborem 17. § 1. l. eum debere 33. d. S. V. P. l. si priusquam. 13. de oper. nov. nunt. quam interpretationem, etsi Cujac. improbat ad. l. 15. in f. de servit. & prior menti d. §. equè. 2. l. d. act. magis conveniat, nihilominus sustinendam censemus, cum communi Doctorum, imprimis veterum, consensu probata reperiatur, vide Gl. ad. d. §. equè verbo tollendi. Joh. Fabr. n. 8. Zaf. ibid. n. 18. & seqq. Bart & Paul. de Castro in. l. 1. n. 2. d. S. V. P. Cœp. d. tr. c. 26. Huius servitutis hoc modo sumptæ commoditas nõ una est: ut venti arceantur, secreta domus occultentur, ut habeatur lumen ^{ἡ ἀπὸ τῶν ἀκλασίων}, arg. d. l. si arborem ne lumen & solis æstus mercibus mercatoris, aut pharmacis noceat; ut onera domus sustineantur. propter d. l. eum debere 33. d. S. V. P. Sed valde nobis, interpretationem hanc veterum Dd. approbantibus, obstare videtur l. Quoties. 15. d. servitut: Quod videlicet servitutum natura non consistat in eo, ut aliquid faciat quis, sed ut patiat & non faciat: quã moti in contrariam abiire mentè Bach. ad Tr. vol. 1. D. 17. th. 2. lit. D. de act. D. 2. th. 22. ad §. 3. n. 5. ad Wesenb. d. S. V. P. n. 3. Ludvv. Disp. ad l. 5. th. 6. lit. f. & plerique recentiorum Respondemus verò: Licet ex natura servitutum communi sit, ut quis patiat nec aliquid faciat, non tamen de substantia earundem est, ut quis non faciat, sed tantum de naturalibus: quippe debens servitutum oneris ferendi, (de qua infra th. 25.) columnas aut parietem suum reficere & collapsum restituere tenetur d. l. eum debere. l. Et si fortè. 6. § 2. l. Sicut. 8. § 2. si serv. vind. Potest quoque in cæteris servitutibus agi, ut qui debet servitutum, facere aliquid cogatur l. in summa 2. §. apud Alphenum. 4. d. aq. & aq. pluv. arc. vide Gl. & Bart. ibi. unde pacto induci potest, ut aliquid fiat in servitute, neque hoc est contra genera servitutum, ut Ulpianus innuit d. l. sicut, § 2. si servit. vind. Costal. ad. d. l. 6. d. t.

XXIII. Servitus stillicidii avertendi est, quã stillicidium nostrum, in tectum, arcam, vel cloacam vicini avertere & declinare licet.

519. n. 22.
§. urbanorum praediorum 1. l. d. servitut. in med. l. urbanorum praedior. 2. d. S.V.P. Vocabulum stillicidii supra. th. 18. annotatum est, ubi fluminis simul servitatem à stillicidii servitute sejunximus. Caeterum perspicua est hujus servitutis ratio, eaque cum caeteris hujus generis servitutibus communis: quilibet enim suarum aedium incommoda ipse sustinere debet; proptereaque nemo alterius stillicidium in suam aream recipere cogitur, nisi servitute hac constituta l. servitudes 20. d. S.P.V. quae si constituta est, & dominus praedii superioris aedificando attollere stillicidium velit, hoc omnino ipsi licet; si vero inferius id ipsum demittere conetur, non licet: quia hoc casu gravior; illo vero levior servitutis sit conditio: quum aqua ex alto cadens, in minimas guttas dissipata levius cadat, & interdum direpta non perveniat ad locum servientem; quae autem prope terram defluit, magis sese continet, & cum impetu majori fertur. Quod ipsum probat Paulus d. l. servitudes.

XXIV. Tignū immittendi servitus dicitur: cum mihi in vicini mei parietem ex praedio meo trabem porrigere licet, ut tibi mei commodi ergo reclinet.

l. sicut. §. 1. si serv. vindic. l. hoc quod dictum 25. d. S.V.P. Tignum in alienum murum immittere non nisi jure servitutis licet l. Quemadmodum. 29. §. 1. ad L. Aquil. & ibi Dd. l. si inter me. 27. d. S.V.P. Lex enim XII. tabularum in convictum de tigno furtim in alienum immisso in duplum dabat actionem t. r. d. rig. junct. Tigni autem appellatione quamvis in genere contineatur omnis materia ex qua aedificium constat, quaeque vineae est necessaria l. 1. §. tigni de tign. junct. §. cum in suo solo. 30. l. d. R. D hoc tamen loco tignum immissum pro trabe tantum sumitur, quae in utroque praedio, serviente & dominante quiescit: nec enim quod de immisissis dicitur, locum habet, nisi ex aedificio uno in aliud immissum sit, d. l. hoc quod. 25. d. S.V.P. l. 1. eod. l. malum. 242. §. inter l. d. V. S. Commodum haec servitus praestat egregium: potest enim super tigna immissa porticus extrui ambulatoria, columnae structiles imponi, quae tectum porticus ambulatoriae sustineant, vel simile quicquam fieri d. l. sicut. §. 1. si serv. vind. Qui vero hanc servitatem debet, vicini tantum tigna suscipere, non etiam parietem reficere tenetur d. l. sicut §. 2. hinc si caducus sit paries, suo periculo alter immittit. Connan. 4. com. 7. n. 11.

C

XXV. Onc.



XXV. Oneris ferendi servitus est, quâ vicinus pariete, aut columnis suis, vicinarum ædium onus ferre cogitur.

l. eum debere. 33. d. S. V. P. l. Et si 5. §. 2. si serv. v. Vicina est hæc servitus præcedenti servituti, tigni immittendi, quas tamen ipse Ulpianus satis discernit *l. sicut. 8 §. distant. 2. si serv. vind.* & differentia harum servitutum ex ipsa vi & proprietate verborum facile perspicitur potest: aliud enim est promittere ferre; & aliud permittere immitti. Hic qui permisit immitti tignum, ad solam patientiam astringitur, nec quicquam reficere cogitur, *per th. præced.* non enim sustinere promisit, sed immitti permisit; ille verò qui onus ferre promisit, parietem cui onus incumbit, aut columnas perpetuas reddere cogitur, id est, perpetuò debet habere parietem illum, aut alium in illius locum reponere & surrogare qui ex utilitate idem paries intelligendus est, *l. servitutes 20. §. 2. d. S. V. P.* hoc autem absque necessaria reparatione fieri nequit, hinc tacitè ad reparationem sese adstrinxit. Nam cum in lege ædium ita scriptum esset, inquit Paulus: paries oneri ferendo uti nunc est, ita sit: satis apertè significari in perpetuum parietem esse debere, *d. l. eum debere. 33. d. S. V. P.* Sicut autem refectio parietis ad inferiorem vicinum pertinet, ita fultura ædificiorum vicini, cui servitus debetur, quamdiu paries reficitur, ad superiorem vicinum spectat, nisi deponere ædificium malit, ne interim corruat, *d. l. sicut 8 si serv. vind.* neque hoc ironicum (ut censet Accursius) consilium est; sed præceptum necessarium.

XXVI. Servitus projiciendi, protegendive est, quâ quis ex prædio suo partes extra tectum porrectas, quales sunt suggrundia, mœniana & podia pensilia, super vicini area habere potest.

l. Urbanorum 2 d. S. V. P. l. si mens. fals. mod. dixer. l. cum manu. 80. §. 1 d. contr. empt. Projectum propriè est longè jactum, à projiciendo deinde sumitur pro extenso, prominente & protenso, Cic. *2. d. repub.* Justitia foras spectat (inquit) & projecta tota est atque eminent. Inde projectum architectis frequens est pro illa domûs parte quæ in vicum prominet, quales partes sunt, suggrundia, mœniana (sic à Mœnio autore dicta) & podia pensilia, idèmq; est projectum quod protectum, germanis ein Erkener / eine Auflage. Nam protegere est tectum projicere, Pratejus in Lexico, quod fit, quando trabes extra columnas seu parietes extenduntur ædificii ampliandi causa. Hinc jam

jam colligere licet projiciendi, protegendiue verbis non duas, sed unam indigitari servitutem: neque enim assentimur illis qui inde duas distinctas servitutis species elicuerunt; ac si projiciendi servitus esset jus aquam ex alio in aliud prædium projiciendi: ut vult Cœp. *de servitut. cap. 31.* id enim falsum esse clarum est ex illo Pauli responso *l. foramen 28. d. S. V. P.* Qui talem constitui servitutem posse negat, quæ non perpetuam & naturalem, sed temporalem, & in hominis opera industriæque positam causam habeat. Differt autem projectum seu protectum ab immisso, notante ex Labeone Jaboleno: quod projectum sit, quod ita provehitur, ut nusquam conquiescat, qualia sunt mœniana & suggrundia; immissum v. quod ita fit, ut in aliquo loco requiescat, veluti tigna & trabes quæ immittuntur. *l. malum 242. d. V. S.* Dicimus autem in definitione, *super vicini area*, aliàs enim non esset servitus: nam in suo quemlibet liberè projectum facere posse dubio vacat. Potest etiam aliquis projectum aliquod, (veluti porticellum) super eum locum, quo vulgò iter fit & in quo constititur, extruere, dummodo non de facili aptum sit nocere. *l. si verò. §. §. 6. de his. qui effud.*

XXVII. Præcipuis *urbanarum servitutum speciebus* jam absolutis, nunc *rusticis servitutibus* similiter explicandis nos accingimus, cujusmodi sunt: iter, actus, via, aquarum servitus, pecoris pastus, jus calcis coquendæ, jus arenæ fodendæ, &c.

pr. l. d. servitut. §. Inter rusticorum. 2. eod. l. 1. d. S. P. R. cum. ll. aliquot seqq. Has servitutis rusticæ species Gl. *in l. 1. d. servitut. & Cœp. cap. 19.* in nominatas & innominatas dividunt. Nominatas appellant, quæ non ab actu nominantur, sed nomen juris habent, ut sunt: iter, actus, via, aquæductus. Innominatas vocat: quæ non à jure, sed ab actu utendi denominantur, ut sunt, cæteræ in thesi recensitæ. Sed displice nobis commentitia hæc divisio: constat enim nominata in usu juris dici quæ specialia nomina sortita sunt, *l. juris G. 7. §. 1. d. pact. l. naturalis. §. d. præscript. verb.* servitutes autem omnes specialia in jure nostro nomina acceperunt: hinc nulla innominata erit, sed omnes juris nomina habebunt. vide Coras. *ad. d. l. 1. d. S. P. R.* Porro iter, actum & viam, accuratè loquendo, non tam specie quàm gradu secundum plus & minus distinguere posse statuit Bachov. *ad. Tr. D. 17. th. 4. lit. C.* Verum, licet commoditas harum servitutum ita sit proportionabilis, ut gra-



du invicem distare videantur: non tamen nobis propterea commodè una species dici videtur propter *l. si pupillus 9. in f. d. novat. l. si mater. ii. §. si quis iter d. except. rei jud. l. loci coprus 4. §. 1. si serv. vind.* quod ex progressu plenius patebit.

XXVIII. Iter (definiente Ulpiano) est jus eundi, ambulandi, hominis, non etiam jumentum agendi, vel vehiculum.

l. 1. d. S. P. R. pr. l. d. servitut. Iter jus dicitur, quemadmodum ceteræ res incorporales jura esse, h. e. in jure consistere dicuntur, de quo supra th. 5. vidimus. Conceditur iter vel principaliter, vel accessoriè sive per consequentiam: principaliter, de quo hoc loco; accessoriè, quod in consequentiam alterius legati principalis tantum debetur, *l. de servitutib. 2. §. rectè. 2. si serv. vind.* quale iter propriè servitus non est: cum non prædii sed hominis utilitatem respiciat. Ceterum quod ad definitionem porro attinet, eundi ambulandi verba majoris evidentia & perspicuitatis causa junguntur; quo constet, eum, cui iter competit, ultra citràque, (si id necessitas & usus sui prædii exigat) ire posse: Ambulare enim dicitur, qui spaciis factis in sua vestigia sæpius recurrit, ut notat Brissonus *de verborum signif. lib. 9.* Sed quâ parte fundi quaritur? Et si certus locus verbis instrumenti itineri destinatus est, frustranea est dubitatio, si secus, servitus in infinito relicta censetur, ut totus fundus, omnesq; ejus glebæ serviant, & liberum sit ei, cui servitus debetur, per quamlibet fundi partem ire *l. certo 13. d. S. P. R.* Ne tamen insolentium hominum nocendi libidini indulgeatur, qui odiosa terere loca non verentur, quæ fortasse ædificiis, arboribus, herbis pretiosis, aut vineis occupata sunt, æquissimâ sententiâ ingratitudinem eorum compescuit Celsus *in l. si cui 9. d. servitut.* ut (1) dicta loca tacitè excepta credantur, cum iter æquè per aliâ, inquit, partem fieri possit, & minore servientis fundi detrimento, & (2) electio loci, per quem eatur, statim, quamprimum is cui servitus debetur per locum certum ire cœperit, perimatur *d. l. 9.* Quod si verò servitus simpliciter, nec in infinito per fundum legaretur, respondet Paulus, facultatem esse heredi, per quam partem fundi servitutem constituere velit, si modo nulla captio legatario in servitute fiat. *l. si via. 26. d. S. P. R.* Homini autem hoc jus constituitur, puta prædii superioris domino: huic enim soli jus servitutis adhærescit: licet per servos, colonos, fructuarios, aliósque, qui ejus nomine possident, servitute uti possit, *l. usufr. 20. quemadmod. servit. amitt. l. si mulieri. 22. quib. mod. usufr. amitt. l. 1. §. cuius.*

cuius. i. & §. penult. de itin. act. priv. Vocabulum hominis etiam propterea merito adjectum est, quo eo rectius constet, servitute itineris, jus agendi jumentum vel vehiculum non contineri. Sed an socius in itinere tali admittendus sit, quaeritur? Et si verba spectemus, is admittendus utique non videtur: cum nec locare servitutes liceat, *l. loc. are. 44.* Locari, nihilominus tamen cum socio ire licere arbitramur: non, quod verbum ambulandi id necessario importet, ut quidam volunt; sed argumento ducto ab eo, quod in simili casu respondet Ulpianus: Non videri servitute alii concessisse qui simul ea utatur, *l. plenum. 12. §. fin. d. usu & hab.* Caeteris in definitione verbis servitus haec a servitute actus & viae separatur, ut videlicet qui iter habet, quod actus proprium est, jumentum agere, & quod viae convenit, vehiculum ducere, non possit: possit tamen lectica portari, aut eques vehi, ut Paulus respondit. *l. Quisella, 7. d. S. P. R.*

XXIX. Actus est jus agendi jumentum vel vehiculum, per praedium alienum.

l. i. d. S. P. R. §. i. de servitutib. Sic quidem Ulpianus; nec diversum est, quod Modestinus ait: Actum esse, ubi & armenta trahere, & vehiculum ducere liceat *l. inter actum, 12. d. S. P. R.* quodque Paulus respondet: Eum qui actum habet & plaustrum ducere, & jumenta agere posse. *l. Quisella. 7. eod.* Commoditatem huius servitutis latiore esse quam itineris, manifestum est, quod enim in definitione itineris, tanquam latius, Ulpianus nominatim excepit, videlicet facultatem jumentum agendi, vel vehiculum, id actui proprium hic constituit, additque insuper, actum habentem & iter habere, non vero contra. *l. i. d. S. P. R.* quod ita interpretatur, quod actum habens etiam itineris usum & commoditatem habere credendus sit; & quod itineris usus & commoditas non possit non actui inesse: quia in majori continetur id quod minus est *l. i. §. si stipulanti d. V. O.* Hinc si quis actum stipulatus, deinde iter stipuletur, nihil agit, *l. Qui usum fructum §. d. V. O.* quemadmodum quoque intelligendum illud Papiniani responsum: Qui actu legato iter adimit, nihil adimit (i. e. stante actus naturali utilitate, ademptio nulla est,) quia nunquam actus sine itinere esse potest (puta ratione utilitatis & consequentiae) *l. i. d. alim. legat.* Non vero actum habens eo ipso duas habet servitutes, jus videlicet itineris, & actus, haec enim jura separata sunt, *l. si pupillus. 9. in fin. de novat.* Non igitur obstat hactenus dictis *lex loci corpus 4. §. i. si serv*



serv. vind. ubi Ictus mentionem facit actum sine itinere, aut iter sine actu habentis: Nam, ut vel ex jam dictis constat, qui actum habet, non itineris simul servitutem habet; sed itineris commoditatem per consequentiam tantum, & magis ex occasione quam ex jure habere creditur: quoniam, ut vulgò dicimus: concessio aliquo, etiam ea sine quibus illo uti non possumus, concessa creduntur *l. cui jurisdictio 2. d. jurisdict.* ut hoc iter non sit servitus, sed accessio servitutis, & causa sine qua non: veluti cum is qui aquæ haustum habet, etiam iter & jus ad puteum eundi habere dicitur *l. item sic possunt 3. §. 3. d. S. P. R. l. Gaurus 10. d. S. P. V.* Deinde in casu dictæ legis actus non simpliciter datus videtur; sed nominatim hac lege: ne liceret ire, nisi ad agendum jumentum vel vehiculum: hæc pactio servanda est, quia contractus ex conventionem legem accipiunt, *l. contractus 23. d. R. I.* Cæterum actus alius plenus est, plenam commoditatem ex utroque jure tam jumentum quam vehiculum agendi præstans, qualis hic nobis definitus est; alius verò, aut propter conventionem partium, aut demonstrationem loci angustioris, minus plenus: cum videlicet alterum saltem, nempe jus jumentum agendi, exerceri potest, *l. Si tam angustis 13. d. servit.* hoc enim nunquam in itinere, in actu semper continetur, quare jus agendi jumentum tantum, non nisi actus esse potest. *Bach. D. 17. ad Tr. th. 4.* Latitudinem actus quod attinet, sciendum est, quemadmodum itineris, ita & actus nullam legitimam. i. e. in ff. aut C. lege definitam extare latitudinem, sed aut eam quæ demonstrata est, aut, si de ea nihil dictum est, ab arbitrio statuendam intelligi *l. certo. 13. §. 1. d. S. P. R.* quavis Alexander ab Alexandro scribat, se ex magnorum autorum lectione compertum habere, dimidium viæ porrectæ esse latitudinem actus, hoc est IV. pedes, iter verò dimidium actus. i. e. pedes duos, in *lib. 2. genialium. cap. 20* cui quoque astipulatur *Baldwin. in comm. ad Instit. tit. d. servitut. in pr. ad voiem actus* idemque *Varro 4. d. ling. lat. & Hotm. in epit. tit. d. S. P. R.* testantur:


X X X. Via est jus per prædium alienum eundi, & agendi, & ambulandi; item lapidem & tignum trahendi, hastamque rectam ferendi, ita tamen ut fructus non lædantur.

l. 1. d. S. P. R. l. qui sella 7. eod. §. 1. d. servitutib. Via quasi veba vel vehia à vehendo dicta creditur *Varroni, & Wesenb. in Parat. d. S. P. R. n. 1.* germanis ein Fahrweg: ut n. proprium est itineris ire, actus agere: ita vehere viæ propriissimè convenit. Hinc probabile nonnullis videtur

detur Ulpianum scribisse viam esse jus vehendi, ubi ex eplaria nostra legunt eūdiut vult Fr. Connan. 4. comm. 11. Donell. 11. comm. 6. quē admodum quoque certis rationibus probat Arumæus exercit ad Inst. 5. th. 6. Differentia porro viæ ab actu & itinere ex genere usūs & latitudine loci manifesta est: non solum enim itineris & actūs usum commoditatēque via continet, & quasi complexus est illarum servitutum d. l. 1. & d. pr. 1. d. servitutib. sed, sive vim & significationem vocabuli, sive potestatem & dispositionem juris intueamur, adhuc utroque jus est pinguius: siquidem viam habenti lapides & tigna trahere, & hastam erectam, citra tamen fructuum læsionem, ferre licet, quod actum iterque habenti expresse denegatur d. l. qui sella 7. d. S. P. R. Sic jus agendi vehiculum, via semper, perpetuo & proprietate suā continet: actus verò non semper, ut th. præcedenti annotavimus. Ceterum latitudo viæ ex legibus XII. tabularum in porrectum octo, in am fractum verò sedecim pedes continet l. via latitudo. 6. de S. P. R. quæ licet communiter talis sit, voluntate tamen contrahentium, vel demonstratione legantis angustior constitui potest, dum tamen ejus sit semper latitudinis, qua vehiculum agi possit. d. l. via 6. d. S. P. R. l. si tam angusti. 13. d. servitut. l. certo 13. § 2. d. S. P. R.

XXXI. Aquæ servitus in jure tripliciter consideratur: (1) ut aquam ducere, (2) ut eam haurire, & (3) ut pecora ad aquam appellere liceat, unde aquæ ductus, aquæ haustus, pecoris ad aquam appulsus, dicuntur. Aquæ ductus est jus aquæ ducendæ per fundum alienum.

l. 1. d. S. P. R. § 1. l. d. servitut. Aquarum plura sunt genera: quædam enim ex capite suo perpetuâ scaturigine propullulat, & fontana vel etiam viva dicitur; cujusmodi quoque est putealis l. un. §. 1. de font. & opponitur illi quæ de cælo cadens aqua pluvia appellatur; quo etiâ spectat nivalis r. t. de aqua pluv. quædam vi aliquâ fertur, & profluens, seu fluvialis aqua vocatur, aut flumen §. & quidem 1. §. flumina. 2. l. d. R. D. quædam aquæ stagnales vocantur vel stagnantes, item palustres, quæ in stagnis, paludibus & lacubus continētur l. 1. §. 1. ut in flum. publ. nonnullæ, ratione affectionum & qualitatum, dicuntur calidæ vel frigidæ, quarum meminit Ulp. l. 1. §. idem Labeo d. aq. quotid. nonnullæ temporales quædam perennes d. l. 1. §. 1. ut in flum. publ. l. 1. §. loquitur de aq. quotid. quædam æstiva dicitur aqua, quâ æstate uti potissimum expedit, quamvis & hyeme eâ nonnunquam utamur l. 1. §. æstiva & per. t. t. de



de aq. quotid. & estiv. alia diurna, quæ interdiu, alia nocturna, quæ nocturno tempore ducitur *l. si sic. 7. quemad. serv. amitt. l. 10. eod.* alia denique juris conditoribus quotidiana appellari consuevit: quæ assidue duci potest *r. t. de. aq. quotid.* Non autem omnis hæc aqua duci servitutis jure potest: sed ea saltim quæ perennis est: veluti quæ ex fonte vel flumine ducitur. *d. l. 1. §. 5. d. aq. quotid.* ex lacu enim, qui perpetuus non est, aut stagno, concedi aquæ ductus non potest *l. foramen. 28. d. S. P. V.* Sed etiam ita hæc servitus constitui potest, ut aquam quærere, & inventam ducere liceat, *l. Labeo 16. d. S. P. R. l. fin. si serv. vind.* Fit autem ductus aquæ per fundum alienum: quoniam per publica loca non nisi principe permittente aqua duci potest *l. si in publico 18. §. 41. & seqq. d. aq. pluv.* Modum aquæ ducendæ quod attinet: varii aquam ducendi modi sunt, de quibus videndus Vitruvius. *lib. 8. de architect. c. 7* Frontinus in *lib. de aqueductu urbis Rome*, quorum tamen communissimi habentur si fistulis plumbeis aut fictilibus, aut per canales structiles, vel etiã per lapidem stratum ductus fiat: quorum tamen postremum, tum deum, cum ita specialiter conventum fuerit licet, *l. si prius. 17. §. 1. de aq. pluv.* cuius ratio, etsi expressa in legibus non habeatur, nobis tamen hæc videtur: quod hic modus cum majori fundi servientis damno sit conjunctus: Servitus autem, in quantum fieri potest minus fundi servientis detrimentum spectare debet *l. si cui 9. d. servitut.* Modus quoque aquæ hauriendæ ducendæque non infrequens est, qui fit per rotam aquariam, cæteraque organa hydraulica, cujus rationem docet Vitruvius *lib. 10. c. 9. & 10.* Sed hoc modo servitutum non posse constitui videbatur, propterea, quod jure veteri (quod ipsum jus appellatur) nihil de eo cautum esset. Sed eò ventum est interpretatione prudentum, ut omnia jura prædiis utilia, & perpetuam causam habentia, servitutes censeantur; & quamvis ipso jure non valeant, tamen ex æquo & bono per Prætoris tuitionem efficaces sint: qui sensus est, legis *si qua 2. comm. prædiorum.* ex interpretatione Fr. Durenii. vide Donell. *ii. comm. 3. Hotm. lib. 1. respons. amicab. c. 15.* Effectus hujus ductus est, quod ista aqua, simul ac in superioris domini fundum pervenit, eius sit, ut suis usibus pro libitu eam applicare, in omnes fundi sui partes derivare, & vel vicino de ea largiri possit: nisi lege conventionis, aut voluntate testatoris hoc jus ad certam prædii partem alligatum sit; tunc enim non modus prædiorum, sed servitus aquæ ducendæ terminum facit, *l. non modus. 12. C. d. servitut.* ita ut nemo in fundi

574.
n. 22.

in fundi parte alia, quam cui parti hæc servitus speciatim constituta est, illâ aquâ uti possit, id quod cōtra Labeonem Proculus probat. *l. ex meo 24. d. S. P. R.* Nunc quæritur: Si aquæ utendæ modus præscriptus non sit, an liceat cuiquam, servitutem aquæductus habenti, ex suo aquæductu, vicino suo novam aquæductus servitutem constituere? Affirmativam tenet Clasenius *in tr. de controv. servitut. mater. concl. 10. n. 11.* nobis autem placet negativa, propter hanc rationem: Quia deest hoc casu causæ perpetuitas, in servitutibus constituendis semper attendenda *l. foramen 28 d. S. P. V.* Nihil enim meū est ex rivo, nisi quantum aquæ est pro tēpore in fundo meo; quæ statim exhauriri posset, nisi ex vicini fonte alia resflueret: ut ita aquæ perpetuitas non à me, sed à vicino meo proveniat. Quare omnino necesse est talem servitutem non ex sola aquæductum habentis voluntate, sed illius imprimis, qui servitutem illi ipsi constituit, & in cuius fundo aquæ caput est, procedere. *v l. 4. C. h. Conn. 4. comm. 9. n. 1. & 2.* Ceterum antequam hinc abeamus, notanda venit ista appellationis diversitas, quæ in hac materia occurrit, videlicet inter ipsum aquæductum, & iter ductus, seu aquæ iter: Si enim per plurium prædia aqua ducenda est, tunc eius prædium, unde initium ductus est, aquæ ductum, prædium verò intermedium, per quod ista aqua ducitur, aquæ iter debere dicitur *l. Quintus 15. d. S. P. R.* vide Hotm. *in epit. ad tit. d. S. P. R. n. 11.*

XXXII. Aquæ haustus jus est, ex flumine, fonte vel vivo puteo alieno, ad utilitatem certi prædii aquam hauriendi.

l. 1. §. 1. l. ergo. 5. d. S. P. R. l. un. §. 1. d. font. Azo *in summa C. d. servitut. & aqua. Bocer cl. 4 D. 7. th. 26* Hæc servitus, & sequentes, nō æquè manifestè prædiorum rusticorum esse videntur, hinc separata à quatuor prioribus leguntur, *in §. inter rusticorum 2. l. d. servitut. l. rusticorum prædiorum 2. d. S. P. R.* Aquæ haustus enim, pecoris ad aquam appulsus, & pecoris pastus, videntur esse servitutes personales innominatæ *l. Mela. 15. §. ult. d. alim. legat. l. Si quis unus. 32. de Vsufr. cum Gl. ibid.* Jus autem calcis coquendæ & arenæ fodiendæ, videntur servitutes esse urbanæ, aut etiam personales *l. velut. 6 d. S. P. R.* Sunt tamen nihilominus reales & rusticæ servitutes, quatenus ad utilitatem rustici prædii constituuntur *l. pecoris. 4. cum. l. seq. d. S. P. R.* quamvis ex accidēti, urbanorum prædiorum, vel etiam personales servitutes reddantur. si ad utilitatem
D urbanæ



urbani prædii, vel certæ personæ, prædium forsitan planè non habentis constituentur. Est & hæc notabilis quædam realium & personalium servitutum differentia: quod servitutes quædam suâ naturâ reales, per accidens personales non rarò fiant; servitutes verò suâ naturâ personales nunquam reales fieri possint. Inter genera aquarum priori th. recensita nonnullæ dantur aquæ, quæ, etsi sint perennes, duci tamen nequeunt, videlicet puteales, ita nempe submersæ, ut extra venas & meatus suos effluere non possint, quarum tamen, ut & cæterarum, constitui potest servitus hæc, aquæ hauriendæ: cuius cõmoditas cum priori, aquæ ducendæ coincidit, ut non sint diversæ servitutis realis species; sed una servitus aquarum, ob modum aquæ alienæ ad prædii commoditatem diversimode applicandæ varians, ut rem rectè perpendentem latere nequit. Ex flumine autem privato procedit hoc jus, inque eo vis latet servitutis: nam ex flumine publico etiam absq; servitute, jure gentium, cuivis haurire licet *l. item. 3. d. S. P. R.* quo spectat illud Ovidii 6. *Metamorph.* Quid prohibetis aquas, usus communis aquarum est. Sanè & ex alieno fonte apud Athenienses cuivis haustum patuisse legimus: cum enim fluviis & fontibus Attica non abundaret regio, & grave admodum videretur cuiquam aquâ interdiceret: statuit Solon, ut ubicunque puteus esset, eo omnes communiter uterentur intra *ἰσθμὸν* quod erat quatuor stadiorum spacium, quemadmodum refert Plutarchus *in Solone*. Hauritur autem aqua non solum situlis, urnis, urceis, verùm etiam organis & machinis, veluti tympanis & cochleis, de quibus apud Vitruv. *lib. 10. c. 9. & 11.* Sic etiam rotis illis, quarum mentio fit in *l. qui fundum 40. §. ult. de contrah. empt.* Hac servitute constitutâ consequens est iter simul concedi ad hauriendum: idem est si via ad hauriendum jure servitutis constituta sit, tunc enim consequenter haustus cõcessus est: *d. l. Item 3. d. S. P. R.* Quorsum enim haustus nisi, adire liceat? & quorsum aditus, si non haurire liceat?

XXXIII. Pecoris ad aquam appulsus est, cum alicui, jure servitutis, pecora sui agri ad vicini aquam deducere licet, ut ex ea bibant.

§. inter rusticorum 2. l. d. servitut. l. 1. §. 1. pecoris pascendi. 4 l. ergo. §. de S. P. R. Pecorum generale nomen est, denotat enim, teste Vallâ omne animal quod sub imperio pabulòque terræ pascitur: hoc verò loco ea denotat animalia, quæ ad agriculturam, stercorationem & victum.

575.
n. 22.

Et sunt necessaria, ut sunt boves, equi, asini, oves, sues, caprae, &c. Pecorum autem appellendorum aut certus constitutus est numerus, & ille omnino observandus est: ut quæ numerum excedunt repelliqueant, rejectâ opinione Trebatii, qui voluit totum vitari. *l. 1. §. Trebatius cum §. seq. d. aq. plu. arc.* aut numerus certus constitutus non est & tunc omnia agri dominantis pecora quin appelliqueant frustra dubitatur.

XXXIV. Pecoris pascus, est jus pecoris pascendi in alieno fundo, ad usum alicuius prædii constitutum.

§. *Inter rusticorum 2. l. d. servitut. l. 1. §. 1. l. pecoris 4. d. S. P. R.* Herbæ omnes in meo fundo natæ meæ sunt *l. adeo. 7. §. fin. jun. l. Quaratione 9. d. A. R. D.* ut rectè alium prohibere possim quo minus sua animalia in meum agrum pascendi causa mittat *l. 1. & seqq. C. d. pasc. publ. & priv.* hinc rectè aliquis jus pascendi in alieno privato agro jure servitutis acquirit, ut hoc jure utètem ullo modo impedire quilibet prohibeatur, vide Cæpoll. *d. tr. de servitut. rust. prædior. c. 9. n. 46.* certumque est dominum fundi servientis non posse ex pascuis agrum facere, in præjudicium juris pascendi, quod alter in fundo habet Treut. *D. 17. th. 16.* Cæpoll. *d. l. n. 40.* Mod. Pist. *conf. s. in f. adde Novel Elect. Aug. p. 2. c. 41. ibique Dan. Moller.* Cæterum ad usum prædii quando constituta est hæc servitus tunc realis est, & de ea hoc loco agimus, ita enim inquit Paulus: Pecoris pascendi servitutes, item ad aquam appellendi, si prædii fructus maximè in pecore consistat, prædii magis quàm personæ videntur *l. pecoris 4. d. S. P. R.* quod ita explicat Zasius: si rustici qui vicinos fundos colunt, & quibus hæc servitus debetur, ex pecore præcipuum fructum colligant, *in suis intellectibus. f. 85. in prima impressione, ad. m. ad §. aq. 2. l. de act.* Quod si autem is, cui pecoris pascendi servitus constituitur, non habeat vicinum fundum, cuius in pecore fructus consistat, non realis sed personalis est servitus *d. l. peccris. 4. d. S. P. R. l. si quis unas 32. & ibi Gl. d. V. usufr.*

XXXV. Servitus calcis coquendæ est, quâ quis in usum sui prædii calcem in fundo alieno coquere potest.

Hæc servitus itidem rustica est, uti constat ex *l. 1. §. 1. l. ergo. §. d. S. P. R. §. inter rusticorum 2. l. d. servitut.* & hanc præstat commoditatem ut tantum calcis coquatur, quantum pro prædii necessitate sufficit, ut casas, tuguria extruere, & reficere liceat, quibus fructus colligantur *d. l. ergo.* Urbana autem fit, cum urbano constituitur prædio, per ea



quæ supra th. 10. annotavimus. Si qua verò ita constituatur, ut ex calce quæstum facere liceat, non realis, sed personalis servitus erit dicenda. vide Cæp. d. tr. c. 10.

XXXVI. Servitus arenæ fodiendæ est, quâ quis ad sui prædii commoditatem in fundo vicini arenam fodere potest.

Idem de hac servitute quod de præcedenti dicendum est, per d. l. ergo. 5. & l. veluti 6 d. S. P. R.

Hactenus recensitis rusticarum servitutum speciebus adhuc addi possent: servitus cretæ fodiendæ, lapides eximendi; jus navigandi per lacum in vicino fundo l. via 23. d. S. P. R. ligna in vicina sylva secandi; uvas premendi, & cætera id genus compluria: Fallitur enim quis in numero servitutum ea tantum haberi existimat, quæ propriam appellationem sortita sunt. Nec enim proprio nomine singula possunt designari, cum verè dicatur: plura negotia esse quàm vocabula l. natura 4. de præscript. verb. Quotiescunq; igitur prædii alicuius libertas minuitur, ad alterius vicini prædii usum & commoditatem, toties servitus rectè dicitur, modò causa commoditatis sit perpetua: ut videlicet natura & conditio rei ita sit comparata, ut nunquam cesset, & consumi utendo nequeat, quantumvis usus ipsius possit esse intermissus. Aliud enim est causa, aliud usus. Causa est naturalis conditio rei; usus est commodum quod facto percipitur. Plurimarum autem servitutum usus manifestè est intermissus, videlicet imprimis earum quæ in fundo, non in superficie consistunt, causam tamen semper necesse est esse perpetuam. vide Hotm. in epit. tit. ff. de servitutib. n. 8. Connan. 4. comm. 9. n. 3.

XXXVII. His piscandi, venandi & aucupandi jura quidam malè annumerare videntur: Aliis autem ad personales servitutes referuntur.

Piscari quidem in publicis fluminibus, ut & in mari, Romano jure cuius licere satis constat: eorum enim usus communis & publicus est jure Gentium § flumina 2. l. d. R. D. l. fluminum 24. de damn. inf. adeo ut nemo prohiberi, sed prohibitus injuriarum agere possit l. injuriarum 13. § fin. de injur. Sic venandi & aucupandi in locis publicis potestatem de jure Gentium & Civili cuius competere palam est § fera bestia 12. l. d. R. D. itaque inutiliter servitus in illis locis constituitur l. item. 3. in f. d. S. P. R. Quanquam hodie naturalem fluminum libertatem

bertatem jure Romano relictam, gentium nostrarum mores abrogarint. Hotm. in ep. tit. ff. de S. P. R. n. 15 quemadmodum & liberam feras capiendi facultatem, privatis ademptam hodie principes sibi sumptierunt, quã de re subtiliter disputat Didac. Covarruv. ad cap. peccatum. part. 2. §. 8. d. R. I. in VI. vide Bocer. cl. 4. D. 3. th. 22. & seqq. In privatis autem fluminibus, lacubus & stagnis piscandi, & in agris sylvis, saltibusque privatis venandi & aucupandi, an alteri per alterum servitus realis constitui possit, quæritur? Affirmativam tenet Zasius singul. intellect. lib. 1. cap. 11. & post eum Andr. Gail. 2. obs. 66. in pr. Nobis verò hoc negandum videtur: idque vel ex hac ratione: quod omnis servitus realis prædii dominantis commoditatem respicere debet, ut supra th. 9. probavimus. Ex venandi & piscandi autem jure nihil ad prædium comoditatis redundat. Jus tamen personale constitui posse, ut in alieno piscari, venari, & aucupari liceat, eodem modo concedendū videtur, ut gestandi & lapides cædendi. cum quis vicinum prædium non habet, l. mela. 14. §. ult. d. adim. leg. l. cum servus. 39. §. 4. de legat. 1. Quod si verò hoc jus toti alicui Reipublicæ aut collegio constitutum sit argumeto ususfructus, civitati, collegio aut fisco constituti, ad exemplum vitæ humanæ longissimè extensæ 100. annos id ipsum durare arbitramur l. an ususfructus. 65. d. usufr. nisi simul actum sit, quod ad heredes transmitti debeat, nam tunc servitus esse nequit: quia hoc contra personalium servitutum est naturam l. Lucius. 37. d. S. P. R. l. sicut 3. in f. quibus modis. Usufr. amitt. quare proprium quoddam jus erit per se subsistens, ut alia sunt varia ejusmodi jura, veluti antichresis, emphyteusis, feudum, &c. quæ cuiquam cõpetere possunt, vide Bocer. cl. 4. D. 3. th. 24. Harprecht. ad §. fera bestia 12. l. d. R. D. n. 130. & seqq. Niell. D. feud. th. 2. Ludvv. Diss. ad Instit. 5. th. 4. Confer. C. I. A. de acquir. rer. dom. th. 14. ubi species istæ accuratiùs discernuntur.

XXXVIII. Speciebus hisce præcipuis servitutum tam urbanarum quàm rusticarum expositis, ad ipsam constitutionem nunc digrediemur; cuius tripartita videtur tractatio: primo enim loco sese offerunt personæ à quibus & quibus servitus constituitur; deinde res, in quibus constituitur; & tertio modi constituendi.

D 3

XXXIX. Per



XXXIX. Personæ sunt, vel constituentessvel acquirentes:
Constituentes sunt, interdum iudex, de quo infra th. 43. aliàs
semper veri prædiorum domini, alienare non prohibiti: Ac-
quirentes sunt in duplici differentia: vel enim acquirunt si-
bi, vel aliis: acquirentes sibi etiam necesse est regulariter ve-
ros suarum rerum esse dominos.

l. si cum duas. 8. comm. præd. l. 1. l. proprium. 5. pr. eod. nemo enim plus
juris in alium transferre potest, quàm ipse habet, *l. nemo. 54. d. R. l.*
Unde nec tutor fundo pupillari, curator fundo adulti, aut maritus
fundo dotali servitutum imponere possunt, *l. Sed si pecunia 3. §. pen. de.*
reb. eor. qui sub. tut. & c. l. Iulianus 5 d. fund. dot Necesse insuper est ut con-
stituentes servitutum sint in solidum domini: quippe unus comūis
rei dominus servitutum rei nec imponere, nec acquirere potest:
quoniam in servitutibus constituendis omnium voluntas est spe-
ctanda, quorum jus minuitur *l. in concedendo. 8. d. aq. & aq. plur. arc. l. si*
autem plures. 10. eod. & iniquum est ex contractu aut facto alterius al-
terum lædi. *l. paterfamilias 44. de heredib. inst.* ne pro suâ quidem parte
l. unus 2. d. servit. l. ut pomum 8. §. 1. eod. l. unus ex sociis 34. d. S. P. R. Servi-
tutes enim hæc suâ naturâ individuæ sunt, & per partes non acqui-
runtur *l. fundus 32. d. S. P. R. l. si quis duas 6. §. 1. comm. prædior. l. pro parte u.*
l. via 17. d. servit. vide Cujac. tr. ad Afric. 6. in explic. d. l. fundus. Quod si
verò uno sociorum prius cedente, postea cæteri quoq; consentiant
cedantq; receptum esse Paulus testatur, hoc casu servitutum con-
stitui & acquiri, *l. receptum ult. comm. prædior.* quod idem Celsus pro-
bat. *l. per fundum 11. d. S. P. R.* ut itaque servitus separatim cædi possit,
non quidem subtilitate juris, aut summo jure, sed per benignam ju-
ris interpretationem, ut ex d. ll. constat. Cæterum domini quibus in-
terdicta est alienatio, servitutum constituere nequeunt, ut sunt (1.)
quibus lex alienare prohibuit: puta pupillus, minor prodigus, furio-
sus, item maritus fundum dotalem. *l. sed si pecunia. 3. §. 5. d. reb. eor. qui*
sub. tut. & c. t. t. l. quib. alien. licet non. Deinde testamento prohibiti, dum-
modo prohibitio justè, hoc est certa de causa facta sit. *l. filius familias*
114. §. 14. de legat. l. 1. cum pater. 77. §. Libertatis 27. d. legatis. 2. l. peto 69. §. 3.
eod. Ratio huius rei est: quod servitutis constitutio sit quædam alie-
natio. *l. ult. C. de reb. alien. non alienand.* vocabulo enim alienationis
non tantum domini continetur translatio. *l. 1. C. d. fund. dot. aliena-*
tionis 28. d. V. S. verum etiam omnis actus per quem alteri jus in ista re
acqui-

acquiritur. Nudæ autem proprietatis dominus fructuario invito, servitutum, per quam deterior ususfructus causa fiat, fundo nec imponere, nec amittere potest, imò ne consentiente quidem fructuario; quamvis acquirere fundo suo servitutum fructuario invito possit *l. sed si quid. 15 § fina. l. d. usufr. cum l. seq.* Quod attinet fructuarium is tantum abest ut constituere servitutum alteri possit, ut nec acquirere valeat; retinere verò potest, vel debet potius, nisi enim id faciat, hoc nomine tenetur *d. l. 15 l. usufructuarius 61. eod.* Vasallus quoque licet acquirere feudali prædio servitutum, & ita meliorem domini reddere conditionem possit, in præjudicium tamen eius servitutum fundo feudali imponere nequit, sed si imposuerit, sibi tantummodo nocet, & fundo ad dominum feudi vel agnatos reverso, servitus resolvitur *lib. 2. feud. tit. 8. §. rei autem. resolutio enim jure dantis, & accipientis jus resolvitur l. Lex vectigali. 31. d. pign. vid. Rol. à Valle lib. 2. conf. 59. per tot. Idem de emphyteuta & superficiario docent, Cæp. tr. de servit. c. 14. Donell. 9. comm. 17. Sichard. ad l. 3. C. d. servitut. Cujac. lib. 2. feud. tit. 9. Treutl. D. 17. th. 6.*

XL. Acquirentes aliis, duplex movet causa: nimirum aut conditio personæ; aut munus susceptum.

Aliis adquirunt ratione conditionis servi, hi enim suis dominis rectè stipulantur *l. 1. de stipulat.* Ratione suscepti muneris, liberi homines, puta procuratores, actores, tutores. Sed separanda ex nonnullorum mente hic videtur causa universitatis & singulorum: Civitas vel municipium per liberam personam, puta Syndicum vel actorem servitutum rectè acquirit, quemadmodum & per servum. *l. sed hoc jure. 2. d. acquir. vel amitt. post l. non dubito 12. d. servitut.* In singulorum seu privatorum causa disparibus sententiis disputatur. Fulgo. **Q.** sius per Procuratorem etiam privatis hic rectè acquiri putat: contrarium tenet Salycetus, & plerique omnes *ad l. 1. C. per quas pers. nob. acquir.* quibus quoque subscribit Coras. Affirmativa autem nobis magis probatur sententia, *arg. l. solutum 11. d. pign. act. §. 6. ibi sed nec mutar, & c.* quemadmodum enim procurator possessionem rei obligatæ acquirere potest, ita etiam in servitute quasi possessionem eiusdem acquirere, id est, patiente promissore rectè ire, agere & c. poterit. Sic maritus fundo dotali acquirere potest, sic & pater prædio peculii castrensi acquirere servitutum potest, *l. ex castrensi 18. §. 1. de castr. pecul.*

XLI.



XLI. Res autem servitutis impositioni accommodatæ sunt omnes res soli, privati juris.

Res soli Ictis dicuntur, ædes, agri, fundi, & cæteræ res immobiles solo conjunctæ. *l. 1. d. rei vind. l. usufructu legato. 7. d. Vusufr. l. 1. § Si fundus l. 3. § pertinet d. vi & vi armat.* talibus rebus servitutes tantum possunt imponi. Hoc in epit. ad tit. ff. d. servitut. n. 6. qua de causa servitutis servitus cõstitui nõ potest, *l. 1. d. Vusufr. leg.* cum servitus sit accidens & accidentis nullum accidens esse possit, neque superficiæ; quamvis constituta superficiæ servitus jure Prætorio, per actionem utilem conservetur *l. 1. § ult. d. superfic.* Hoc loco quoque perspicuam quandam realium & personalium servitutum observare licet differentiam: illæ enim non tantum in rebus soli, ut hæc, sed etiam in servis jumentis, cæterisque rebus corporalibus omnibus, *l. si servi. 21. d. usufr. l. vetus 68. §. 2. eod.* ut in statuis imaginibus & nummis veteribus, constitui possunt. *l. statua 41. l. nominatum 28. d. 1.* Privati insuper juris res esse oportet: siquidem per loca publica, sacra, sancta & religiosa, utpote quæ commercio hominum exempta sunt, deberi servitus nulli potest. *l. servitutes 14. in fin. d. S. P. R. l. si prius. 17. §. 1. d. aq. pluv. arc. l. caveri 4. l. venditor 13. com. prad.*

XLII. Sequuntur jam ipsi constituendi & acquirendi modi: constituuntur autem servitutes regulariter d. vel citra factum hominis; vel hominis facto interveniente. Citra factum hominis aut naturâ loci; aut ex provisione legis; aut ex vigore receptæ consuetudinis.

Ipsa natura loci declivis inferiori vicino hanc imponit servitutum, ut ex superiori prædio profluentem aquam excipiat nec potest inferior aquæ pluvie arcendæ contra eum agere *l. 1. §. antep. d. aq. & aq. pluv. arc.* Exemplum servitutis à lege constitutæ habemus in *l. ult. § ult. C. d. servitut.* quæ in eo consistit, ut vicino ventus triturationi necessarius, à vicinis ædificando auferri nequeat: cuius rei plura in jure statutorio certarum civitatum reperire licet exempla, quæ brevitate studio lubentes omittimus, vide Reform. Noric. tit. 26. L. 3. pr. & seq. Reform. Francos. ad Mœn part. 8. tit. 7. & seq. Consuetudine quoque servitutes constitui patet ex *l. venditor. 13. §. 1. comm. pradior. & quemlibet suæ patriæ aut alterius loci mores consulentem hoc late re nequit, longum hac vice & contra instituti nostri rationem foret, ad variorum locorum cõsuetudinarias servitutes hinc divagari velle.*

XLIII. Ho-

XLIII. Hominis factō constituuntur servitutes, vel Judicialis, vel privati: unde hęc constitutio vel privata est, vel Judicialis. Privata est: cū privatus extra iudicii causam servitutem alicui constituit: quod fit dupliciter; vel conventionē, vel ultimā voluntate.

Cōventionē cōstituuntur servitus, (sive ut alii generalius loquūtur, *inter vivos*) videlicet pactis, sive legitimis, *arg. l. legitima conventio 6. d. pactis.* sive cōtractibus in continenti adjectis, talia n. pacta contractibus inesse feruntur. *l. juris Gentium. 7. de. pactis.* quamvis per traditionem ex nudo etiam pacto factam servitus constituta credatur *Wesemb. & Bachovio. ad. §. 1. d. V. usufr. & stipulationibus l. cum essent. 33. d. S. P. R.* vocabulo autē stipulationis h. lo. omnes contractus intelligi debent. Olim enim servitute ex quocunq; contractu constituta, interponebatur stipulatio quædam, quæ firmandarum conventionum causa subiici dicebatur *l. 1 §. conventionales d. V. O.* Ultimā voluntate servitus constituitur, cum testator in testamento vel codicillis heredem suum damnat ut servitutem præstet; veluti ne alius tollat ædes; ne luminibus ædiū vicini officiat; vel ut onera vicinarum ædium suo muro aut columnis sustineat; aut patiat vicinum ire, agere &c. per suum fundum *l. potest. 16. com. præd. l. si testamento. 31. d. S. P. V. t. t. ff. d. servitut. leg.*

XLIV. Judicialis servitutis constitutio est, quæ in iudiciis duplicibus, familiæ erciscundæ & communi dividundo per adjudicationem perficitur.

l. Item Labeo. 22 §. 3. famil. ercisc. l. ut fundus. 18. commun. divid. Servitute hoc modo constitutā, secundum naturam horum iudiciorum, cū ex jure in re originem traxerint, statim jus in re oritur, actioque competit confessoria, ei, cui servitus constituta est. *arg. §. final. l. d. offic. jud. vid. Vlp. tit. 19. l. § 1.*

Ad hanc judicialem constitutionem referri quoque potest casus iste, quo religionis favore probatum est, ut aliquo iter ad sepulchrum non habente, officio iudicis vicinus cogendus sit, justo precio accepto iter alteri præstare. *l. si quis sepulchrum. 12. d. religiosis.* cui casui non dissimilis est alter ille texus, quo iudici incumbit cogere confinem, ut accepto legitimo precio aditum præstet confini ad fundum suum, ita confinibus circumdatum, ut ad eum colendi istius

E

causa



causa venire nequeat. arg. l. ult. d. S. P. V. l. testatrix. 20 si serv. vind. vide
Mausler. in praxi. § item si quis petat viam. de servitut. Bocet. D. 7. cl. 4.
th. 23.

XLV. Cæterùm servitutes hæ conceduntur vel simpli-
citer; vel ex die aut sub conditione: quo loco inter ipsam ser-
vitutis promissionem & constitutionem haut ineptè distin-
guitur. Simplicem n. servitutis concessionem ipsam consti-
tutionem dicimus; concessionem verò conditionatam nu-
dam esse promissionem arbitramur.

Jure civili vetusto, quod ipsum jus *ἐμπαρκῶς* vocatur, servitu-
tes ex tempore, ad tempus, sub conditione, & ad certam conditio-
nem concedi non potuerunt l. servitutes. 4. d. servitut. rationem non-
nulli, ut & Clasenius tr. d. cōtrov. servitut. mat. concl. 12. desumunt ex l.
actus legitimi 77 d. R. l. quæ tamen nobis non placet ratio: tùm quod
responsum illud Papiniani, ad eos tantùm legitimos actus, qui ibi
enumerantur pertinere, certum sit; tùm etiam quod servitus actus
legitimus dici non possit, cùm ex jure Gentium descendat l. ex hoc
jure 5. d. l. § 1. Duarenus ad d. l. 4. hanc ponit: quod servitutes causas
perpetuas habere debeant l. foramen. 28. d. S. P. V. quæ ratio, etsi
non absona est, certa tamen non est: cùm aliud sit causa servi-
tutis, aliud constitutio ex tempore: licet enim omnes ser-
vitutes causas perpetuas habere debeant, nihil tamen hoc mora-
tur, quo minus tempus & conditio iis adjici possit: nam si temporis
vel conditionis adjectio ex causa perpetua penderet, Prætor per pa-
cti exceptionem eam non confirmasset d. l. 4. d. servitut. alias aliorū
vitutes ex juris subtilitate diem vel conditionem non recipere vi-
dentur, quod sint qualitates prædiorum, quæ rebus imprimi non
possunt, nisi statim appareant, impressæ vix avellantur, nisi certis &
legitimis modis: utriq; adversatur dies & conditio, cùm non statim
servitus appareat, & imposita evanescat. Licet verò jure vetusto, ut
diximus, aliter obtinuerit, postea tamè placuit prudentibus, ut, si is,
cui hoc modo constituta est servitus, alio tempore quàm de quo a-
ctum est, confessoria actione experiatur, exceptione summove-
tur; æquissimum enim visum est quod convenit servari, utcunque
stricta ratio disputandi repugnarit. l. 1. d. pact. l. si ita vulneratur 2. §.
fin. ad L. Aquil. quod in plerisque casibus animadverti potest. l. certo
generi

n. 22.

generi 13. d. S. P. R. l. obligationum ferè 4. d. O. & A. l. eum qui ita 56. §. 4. d. V. O.
 Dicimus autem promissionem cum constitutione concurrere in
 concessione servitutis simplici: constitutio enim fit per patientiam,
 quæ hic loco traditionis est l. si ego 11. §. 1. d. publiciana. l. 1. §. fin. d. S. P. R.
 junct. arg. l. servus 43. §. 1. d. A. R. D. harumque servitutum natura in eo
 est, ut quis patiatum vel non faciat l. quoties. 15. §. 1. d. servitutib. l. Et si for-
 tè 6. §. 2. l. sicut autem 8. §. 2. si serv. vind. at qui permittit statim patitur
 & non facit; ergo eo ipso etiam constituit. arg. l. ult. d. servitut. l. ra-
 tio. 3. §. 2. d. act. empt. Diversum autem in personalibus servitutibus
 obtinet; in illis siquidem simplici servitutis concessione servitus
 tantummodo promittitur; per traditionem verò si res sit mobilis, vel
 inductione in fundum, ædes, cæterasque res immobiles constituitur
 atque ita in illis constitutio à promissione actu diversa est. Ratio
 diversitatis est, quod in servitute personali. e. g. usufructu, requiratur
 factum à parte constituentis, seu datio proprietarii, secundum l.
 omnium 3. d. usufr. servitutes autem reales statim sint & consistant
 quando quis patitur aut non facit d. l. 15. §. 1. Promissio verò servitutis
 sub conditione facta & in hisce realibus servitutibus à constitutio-
 ne diversa est, l. heredes 25. §. 10. famil. ercisc. ex ea namque jus ad rem
 & personalis, ad servitutem quæ sub conditione promissa est, præ-
 standã, oritur actio; ex cõstitutione autem promanat jus in re, actio-
 que realis, ut postea videbimus.

XLVI. Acquiruntur etiam hæ servitutes indifferenter
 omnes hodie longo usu & quasi possessione, decem annis
 inter præsentem, vicennio inter absentes, peræquè ut res ipse
 immobiles.

l. final. C. d. præscript. long. temp. Nec rusticas neque urbanas ser-
 vitutes usucapi posse perspicuum est, ex responso Pauli. in *l. servitutes*
14. d. servitutib. obstat enim illarum usucapioni manifesta juris ratio:
 Servitutum siquidem omnium ea est natura, qualitas & conditio,
 ut possideri, cum incorporales sint, nequeant, *l. si ades mea. 32. §. 1. d.*
S. P. V. l. possideri 3. d. acquir. possess. certum est autem sine possessione
 usucapionem nullam subsistere: propterea quoque in. II. XII. tabu-
 larum ommissa fuit servitutum realium usucapio; quæ tamen postea
 autoritate Prudentum ex interpretatione inducta est: unde civili
 jure obtinuit res etiam incorporales, & inter hæc quoque servi-
 tutes usucapi, arg. *l. sequitur 4. §. fin. d. usucap.* Scribit quoque Aggenus

E ; Urbic 15



Urbicus in lib. d. limit. agror. biennio iter quod in usu erat, usucapi potuisse, idque confirmat Paulus i. sent. tit. de servitutib. Anno autem U. C. 768. L. Scribonius Libo, cum Sisenna Statilio Tauro Coss. lege consulari latâ, usucapionem servitutis, id est, quæ servitutum constituebat, sustulit; non etiam eam, quæ libertatem præstat, sublata servitute. Itaq; ait Paulus: Si, cum tibi servitutum deberem, ne mihi (puta) liceret altius ædificare, & per statutum tempus altius ædificatum habuero: sublata erit servitus, l. sequitur 4 §. fin. de usucap. Verum hoc jus legis Scriboniæ non multò post corrigere & emendare Prætoria benignitas cœpit, & quam sustulit Scribonius servitutum biennial em usucapionem, eam novâ quadam longæ possessionis prærogativâ defendit Prætor: ita enim Ulpianus lib. 53. ad. edict. Si quis diuturno usu & longâ quasi possessione jus aquæ ducendæ nactus sit, non est ei docere necesse, de jure quo aqua constituta est, veluti ex legato vel alio modo, sed utilem habet actionem, ut ostendat per annos fortè tot usum se, non vi, non clam nec precario possessisse; l. si quis 10. si serv. vind. juncta l. 1. §. fin. d. aq. pluv. idè probatur rescriptis Antonini l. 1. & 2. C. de servitut. & aq. Unde apertè evincitur minus rectè dici, ante Justinianum legem Scriboniam semper in usu fuisse.

Nunc quomodo novissimo jure, Justiniano, servitutes præscribantur potissimum videndum est. Vetus schola servitutes continuas (ita nempe vocarunt urbanas) exemplo rerum immobilium, decennio inter præsentis, vicennio verò inter absentes præscribi, pro certo tradidit. Discontinuas (puta rusticas) aut nunquam, aut tempore saltim immemoriali præscribi existimavit, Bart. Castr. & alii in. l. servitutes. 14. de servitut. & in. l. 2. C. d. servitut. & aq. Ang. & Fab. in §. aquè 2. l. d. action. Pontificii. in c. de quarta. Ext. de præscript. Anchoran. in reg. sine possessione de reg. jur. lib. VI. Cœp. tr. de servit. c. 19. & 20. Fr. Balbus tr. d. præscript. in 2. part. 4. partis q. 1. quos etiam ex recentioribus sequitur Hotm. in epit. ff. ad tit. de servitut. n. 16 Sed hanc veteris scholæ distinctionem inter continuas & discontinuas servitutes meritò rejicimus: nullâ etenim lege nititur, sed ab iis efficta est. Deinde omnes prædiorum servitutes ex æquo continuas simul & discontinuas esse, pro vario ipsarum respectu certum est. l. foramen. 28. d. s. P. V. Præterea Paulus in hoc capite servitutes prædiorum rusticorum & urbanorum exæquat, l. servitutes 14. de servitut. Atqui ab interpretibus laudatis urbanorum prædiorum servitutes dicuntur esse

550. n. 22.

esse continuæ, & longo tempore acquiri, quod expressè adverfa-
tar Pauli verbis, quando dicit: Idem & in servitutibus prædiorum
urbanorum observatur *d.l. 14. inconstantem etiam esse veterum tra-*
ditionem manifestum est ex l. apparet. §. 3. d. itin. actuque priv. ubi de
itinere actûque privato (quæ discontinuæ à veteribus servitutes vo-
cantur) loquens Ulpianus, propter lögæ possessionis prærogativam
interdicti usum concedit. Porro hoc inde quoque apparet: Lapidis
cadere in alieno solo actus est discontinuus; & servitus discontinua
& tamen consuetudine acquiritur *l. venditor. 13. §. 1. com. præd. consue-*
tudo autem longi temporis, vicem servitutis constitutæ obtinet. su-
pra th. 42. Sic omnis jurisdictio longo tempore acquiritur. l. 1. C. d.
emancip. lib. l. viros §. C. d. divers. offic. lib. XII. tit. LX. c. tum contingat Extra de
for. compet. & tamen prorsus discontinua est. Neque etiam subsistit
differentia inter reales & personales servitutes: qua tradunt veteres,
servitutes personales, quamvis actus habeant discontinuos, conti-
nuas tamen esse, quia & animo hominis continuò possidentur;
cùm etiam in realibus animum præscribentis maximè adesse oport-
teat. Denique servitutes non considerantur solum ut jus, aliàs enim
ut alia jura incorporalia. XXX. solummodo annis præscriberentur.
l. hereditatis 7. C. d. petit hereditat. l. sicut 3. & seqq. C. de præscript. 30. ann.
Sed considerantur ut accessiones corporum & rerum immobilium.
Quemadmodum igitur res soli possidentur animo; ita etiam acces-
siones. C. accessorium d. R. l. in VI. His argumentis evinci credimus
unam eandemque esse omnium servitutum realium possessionis
causam, nec alias servitutes continuò, alias verò discontinuò possi-
deri, quæ de re videri possunt. Longovall. in l. imperium. 3. ff. d. jurisdic-
tionem p. 4. c. 1. Duar lib 2. annivers. disp. c. 28. Wesehb. in Parat. de servitut.
nm. 5. Id verò observandum est: malè sæpe confundi continuam
possessionem, cum causa continua, perpetua & naturali: illa enim ad
usum præscribentis pertinet l. quoties 15. §. fin. d. servitut. cùm etiam in
corporibus Ictus possessionem appellet usum l. questio 115. §. possessio
d. V. S. hæc verò ad naturam, Usus servitutum omnium potest esse dis-
continuus: non enim ire agere &c. quis ita assiduè potest, ut non a-
liquo modo cesset, neque etiam servitus urbana ita acquiri potest
quin prædium cui debetur servitus aliquando pereat. Sic servitutis
luminum usus non est continuus, licet continua servitus omnibus
dicatur: non enim hæc servitute noctu utimur. At natura servitutum

est, ut continuam omnes & perpetuam causam habeant *d. l. foramen*
28. d. s. p. v. Usus intervalla recipit: natura autem servitutum omnem
intermissionem excludit. Usus corpore consistit & actu; natura ani-
mo & potentia. Nunc quid de opinione illa Cujacii, quam ample-
ctitur quoque Petr. Clasenius *in suo de controv. serv. mat. tractatu. concl.*
17. sentiendum sit, videbimus. Docet ille rusticorum prædiorum ser-
vitutes ideo usucapi non posse, nec unquam potuisse, quia vel possi-
deri non possunt, vel, quia natura sui intermissionem habent; con-
tra verò urbanorum prædiorum servitutes usucapi posse, quia con-
tinua ipsarum sit possessio, *ad l. sequitur 4. §. fin. d. usucap.* Paulus sane
in. d. l. servitutes 14. nullas prædiorum servitutes usucapi posse, L. Scri-
boniam secutus, scribit: deinde omnium servitutum quoad conti-
nuationem & discontinuationem parem conditionem facit, quod
in superioribus quoque satis probavimus. Servitutes etiam rustico-
rum prædiorum nunquam usucapi potuisse, quia jus ipsarum usucapioni
obstet, minus rectè profertur: Quinimo Paulus *1. sentent. 17. sic scri-
bit:* Servitus hauriendæ aquæ vel deducendæ, biennio omissa inter-
cidit, & biennio usurpata recipitur. Aggenus Urbicus *lib. 1. de limit.*
Iter (inquit) non quo ad culturas pervenitur capitur usu, sed quod
biennio in usu fuit. Sic Cicero *pro Caccinna.* Fundus (inquit) à patre
relinqui potest; at usucapio fundi, hoc est, finis sollicitudinis & pe-
riculi, litium, non à patre relinquitur, sed à legibus: (*puta XII. tabula-
rum*) aquæductus, haustus, iter, à patre; sed rata autoritas harum re-
rum omnium à jure civili sumitur; *Put a isto jure, quod ab interpretatio-
ne prudentum ac disputatione fori profluxit.* Unde nec cum Hotmano
facimus, qui malà saltim consuetudine servitutum usucapionem, in
legibus XII. tab. omissam, postea invaluisse putat *lib. 4. obs. c. 2.* Sed ut
hac in re alibi certis adducti rationibus à Cujacio recessimus; ita
illius sententiã aliã meritò amplectendã censemus, contra eos, qui
hodie ex Justinianeâ usucapionis transformatione servitutes pro-
priè usucapi volunt, ut contra Treutl. statuere amat Bachov. *D. 17.*
rh. 8. lit. A. Valent. Riemer illust. quest. dec. 4. q. 7. Andr. Gerh. *dec. 5. q. 3.*
sequitur 4. §. fin. d. usucap. Nam, cum ad correctiones jurium facilè de-
veniendum non sit, & leges Pandectarum non ex mente Ictorum
sed Justiniani sint accipiendæ, tutius videtur, si jure etiã Codicis servi-
tutes longo tantum usu, & quasi possessione acquiri, & quasi usuca-
pi di-

pi dixerimus, per *l. si quis. 10. si serv. vind. l. 1. 2. & 13. C. d. servitut. & aq. ut* optimè notat Ludvv. *D. 5. th. 7. lit. f.* vide Fachin. 8. *contr. 22.* Hunn. *var. res. tr. 2. q. 14.* Actio quæ pro hac servitute comparata est, utilis actio dicitur *l. si quis diuturno 10 si serv. vind.* Cæterùm de titulo, quatenus is necessarius sit in hac præscriptione, variè disputatur. Titulus autem nihil aliud est: quàm modus & causa acquisitæ possessionis, aut acquisiti dominii, *l. non solum 34. §. 1. d. usufr.* qualis hoc loco est constitutio servitutis, ex justa alienationis causa à domino putativo facta: quæ, licet per se servitute nostram non faciat: tamen bonæ fidei possessor, titulo hoc adjutus, longi temporis præscriptione superveniente, servitute sibi acquirere potest *l. 1. §. ult. de. aq. & aq. plur. arc. l. si aquam 2. C. de servitut. l. ult. in f. C. de long. temp. præscript.* Quatenus igitur in hac servitutum præscriptione necessarius sit titulus si queratur? Breviter distinguimus: aut dominus scit patiturque, & tunc necessarius titulus non est *d. l. si quis. l. si aquam.* quod si verò ignoret dominus, titulo omnino opus erit, *l. fin. C. d. præscr. long. temp.* Donell *ii comm. 12.* ibique Hilliger. *in enucl. lit. B. Costal. in. l. ult. d. servitut.* De requisitis servitutis ritè præscribendæ aliàs latissimè tractant Cæp. *lib. 2. c. 30.* Balb. *tr. d. præscript. p. 2. quartæ. q. principalis.* Interpp. *in. d. l. 2. C. de servitut. Pontificii in. c. de quarta, c. si diligenti. Ext. d. præscriptionib. & Coras. diffusè ad. l. servitutes. 14. d. servit.* Sed licet hæc omnia, uti hac thesi paulò fusiùs tractata sunt, in ratione quidem juris satis fundata esse confidamus; in praxi tamen aliud obtinere magni Icti testantur. Et quidem in servitutibus præscribendis tempus infinitum requiri probat. Vasquius *lib. 2. contro. c. 84.* Continuarum & discontinuarum quoque servitutum distinctionem, in praxi frequèter obtinere & in Camera approbatam esse testes sunt Mynsing. 4. *obs. 53.* Gail. 2. *obs. 66.* Zasius *lib. 2. consil. 6.* idem in Hispania tradit Didac. Covarruv. *lib. 1. resol. c. 17.*

XLVII. Nunc paucis de effectu servitutis concessæ videbimus: hic verò in utilitatis perceptione, & eius percipiendæ causa à jure proditis actionibus consistit.

Quemadmodum servitutis concessio non est uniusmodi, sed vel simplex seu perfecta, vel conditionalis seu imperfecta; ita effectus quoque est diversus. Et quidem simplex concessio (quam ipsam constitutionem esse supra th. 45. ostendimus) quem habeat effectum, quod ad actualè utilitatis debitæ fruitionem attinet, in singularum specie-



specierum explicatione supra annotatum est: quare ea hic iterum congerere superfedebimus. Quem verò effectum concessio servitutis conditionata (quæ promissio est) producat, dubitari posset: quandoque enim adjectio diei vel conditionis rem ita afficit, ut actum irritum & nullius momenti reddat, *l. actus legitimi 77. d. R. l.* quandoque actum suspendit, & obligationem ante eventum diei vel conditionis impedit *l. obligationum. 4. d. O. & A. § omnis 2. l. d. V. O.* quandoque diei vel conditionis adjectio nec vitiat neque suspendit actum, sed pro non adjecta habetur. Sic hereditas non potest relinqui ex die; si tamen ita relicta sit, non inutiliter relicta censetur, sed ut dies pro supervacuo habeatur, *l. hereditas ex die. 34. de heredib. instit.* Sic etiam dicendum hic est, servitutes ipso jure diem & conditionem non recipere *l. servitutes. 14. d. servitut.* non ut nulla sit eius concessio, sed ut pro non adjectis habeantur. Ratio potest dari talis: quod propter prædiorum favorem hoc ita constitutum sit. Reipublicæ siquidem interest civitates ædificiis non deformari, & unicuique, quoad fieri potest, commodum ædium usum præstari: Sic è publica re est, ut agriculturæ commoditas probetur. Sed prætorio jure per pacti vel doli exceptionem occurritur contra ejusmodi placita servitutem vindicanti: pro irrita igitur ejusmodi concessio haberi non debet, per ea quæ *th. 45.* notata sunt, sed efficit ut commoditas, quam servitus præstare valet, ad casum existentis conditionis vel jam præsentis diei suspendatur. Hinc futuro ædificio, quod jam nullum est servitus imponi potest *l. si servitus 23. §. 1. d. S. P. V.* Sic aquæ nondum inventæ servitus potest imponi *l. Labeo. 10. d. S. P. R.*

Præterea in actionibus producendis servitutis promissæ & constitutæ effectus maximè est diversus, quamobrem actus constitutionis & promissionis in acquisitione jurium in re magnoperè distinguendi sunt. Ex promissione enim servitutis jus ad rem, & personalis adversus promittentem eiusque heredem oritur actio, quæ servitutum promissam constitui intendimus, *arg. l. obligationum substantia 3. d. O. & act.* eaq; pro diversitate negotii, quo promissio facta est, variat, indeque nomen sortitur: ut, si stipulatione interveniente fiat promissio, ex stipulatu actio datur, si certo pretio dato, ex empto, ac ita de reliquis contractibus *l. si quis fundum 10. de evict. l. ex empto 11. pr. de act. empt.* vid. Oldend. *cl. 3. act. 4. q. Quid prosequamur hac judicio.* Ex servitutis autem constitutione jus in re causatur, & actio realis sive confessoria

confessoria, oritur: qua confitetur, id est profitetur quis, servitute in rebus alterius suam esse, § *aque. 2. l. d. act. l. de servitutib. 2. si serv. vind.* Dicitur verò confessoria, discriminis causa. Sicuti enim pro servitute vindicanda confessoria, ita pro libertate contra servitute vindicanda contraria actio à juris auctoribus prodita est, quæ negatoria vocatur, ideo, quod competat domino servitute se debere neganti, d. §. *aque, l. sicuti 8. si serv. vind.* hac principaliter semper asserimus libertatem; in altera principaliter dicimus servitute nostram esse: adeoque qui dicit sibi ius esse altiùs tollendi, servitute sc. constituta, asserit in ædibus alienis sibi hoc jus competere (inde ista actio propriè est confessoria, eiusque exemplum affirmativum) quamvis per consequentiam in eadem asserat, ædes suas esse liberas, à servitute sc. altiùs non ædificandi, tanquam alteri non constituta: & dicens alteri jus non esse altiùs tollendi, principaliter affirmat sibi deberi servitute altiùs non tollendi (unde hæc itidem propriè confessoria, eiusque exemplum negativum) tacitè verò asserit ædes suas liberas esse, & alterum non habere in illis servitute altiùs tollendi, arg. l. *si priusquam 15. de nov. oper. nunt. vide Olend. class. 3. act. 5. num. 3. Joan del Castillo tr. d. Vsufructu 7. num. 2. Wegner in analysi Instit. ad aque 2. l. d. act.* In actione autè confessoria tria potissimùm sunt attendenda: (1) *(cui detur?)* Ubi sciendum, directam domino prædii dominantis dari: hic enim solus propriè servitute suam esse intendere potest, l. *de servitutibus. 2. si serv. vind. l. Et si forte 6. §. 3. eod.* Utile autem dominum habentibus, nempe superficiario, vasallo, emphyteuta, utilem in rem actionem concedi. l. *1. si ager vectig. per. l. in provinciali 3. §. penult. d. oper. nov. nunt. l. 1. §. 1. d. superfic.* Sic quoque creditorem pignori fundum habentem, cui servitus cohæret, hoc modo agere posse respondit Cajus, l. *creditori. 9. d. oper. nov. nunt. & Iulianus l. ei qui 16. d. servitut.* (2) *contra quos detur?* ubi dicendum est, eam principaliter dari contra dominum prædii servientis; deinde adversus omnes illos, qui vis illatione, vel quovis alio modo impediunt. Ita enim respondet Ulpianus: Agi hac actione poterit non tantùm cum eo, in cuius agro aqua oritur, vel per cuius fundum ducitur: verùm etiam cum omnibus, quicunq; aquam ducere impediunt l. *si quis 10. si serv. vind.* (3) *Ad quid detur?* Hoc autem ex jam dictis quodammodo apparet, nimirum ut impedimentis omnibus remotis, liberam servitute debitâ utendi potestatem quis nanciscatur, nempe: ut res aut



cautio, & eius quod damni datum est interesse præstetur. *l. harum actionum 7. l. egi. 12. si serv. vind. l. loci corpus. 4. §. 2. l. Et si fortè 6. §. 5. eod.* Non autem necesse est cautionem unà cum re semper præstari: frequentius enim alterutrum præstari ipsa servitutum natura evincit: veluti si itineris, actus, viæ &c. servitutum, quæ in patiendo consistit, aliquis alteri debeat, cautio tantum de non turbando præstabitur; quod si tigni immittendi, oneris ferendi &c. rem præstari sufficit. Si verò contra servitutum ædes altiùs extulerit, seu luminibus aut prospectui offecerit, potest damnari ut non tantum deponat ædificium; sed etiam domino prædii dominantis de futura securitate caveat, uti notat Bachov. *ad Treutl. D. 17. th. 15. lit. A.* Sed & interdictis possessoriis, turbatus in servitute, uti potest, *l. 1. §. 1. d. oper. nov. nunt.* Ac proinde priusquam aliquis confessoriâ agat, dispiciet, num possit aliquo interdicto suam tueri possessionem: id enim longè levius est, & paratius, multisque modis commodius: in illis siquidem non jus, sed factum versatur: veluti in interdicto de itinere actûque privato, solum quæritur iveris, an non iveris? non etiam jure, an injuria? *l. 1. de itin. actûque priv. d. l. 2. §. fin. d. servitut.* Caterum & operis novi nuntiatio competit nonnunquam servitutum habenti: si videlicet unam ex illis, quas prioris commoditatis retinendæ finem habere diximus (*supra th. 14.*) sibi constitutam habeat, *l. inter servitutes 15. d. S. P. V.* earum enim omnium par est ratio. Id quod sibi velle videtur Cujacius *1. obs. 17.* quando dicit: Illarum demum servitutum nomine opus novum nuntiari posse, contra quas directò fit per ædificationem: Non enim probabilis nobis videtur illorum opinio, qui à jure vindicandi, generalem ad jus nuntiandi in omnibus servitutibus illationem urgent, propter *l. creditori. 9. d. nov. oper. nunt.* ut facit Forcat. *dial. 112.* Bronch. *cent. 1. assert. 59.* Istâ n. illationem in terminis habilibus valere putandum est, ut procedat, quando talis subest servitus pro qua opus novum nuntiari possit, vide Bachov. *d. D. 17. th. 11. lit. B.* Sic nec lex *un. §. 3. de remissionib.* nobis obstat, ubi generaliter Ulp: dicit: Eum qui dominium aut servitutum habet, jus habere novum opus nuntiandi. Neque enim necesse est hoc de omnibus servitutibus esse verum, ut putat Clasen. *tr. de controv. servitut. mat. concl. 11. num. 16.* Sed sufficit pro veritate eius textus si in quibusdam se ita habeat: hoc enim non infrequenter in jure nostro contingit, ut verba legis generalia, ad subiectum qualitatemque habilem restringantur. *arg. l. quamvis 11. de in*

ius vocando. Quare nec divinatoriam ipsius textus inversionem in *l. qui viam 14. de oper. nov. nunt.* quam d. l. suadet Clafenius, tolerandam esse arbitramur: ubi pro consueta & vera lectione ita legi vult: *Qui viam habet; si opus novum nuntiaverit, adversus eum qui in via aedificat, sed nihil agit, servitutem vindicare non prohibetur.* Quo sanè modo textus quoscunque ad suam mentem corrigere non foret laboriosum. Sed manet illud verissimum, nō pro omnibus servitutibus novum opus nuntiari posse, per d. l. *Qui viam 14. d. oper. nov. nunt.* utut pro illius textus everfione laboratum sit.

XLVIII. Restant nunc modi amittendi: amittuntur autem servitutes reales tribus modis 1. Remissione. 2. Confusione.

Omne jus aut in acquirendo, aut in conservando, aut in amittendo consistere Ulpian. ait *l. fin. d. ll.* Postquam igitur tam de acquisitione quàm de conservatione horum jurium egimus, jam de amissione eorum brevis adhuc superest tractatio. Primus autem amittendi modus *remissio* vocatur: cum videlicet dominus prædii superioris, vel expressis verbis, vel etiam tacitè, prædii servientis domino permittit, ut in suo prædio quid faciat quo servitutis usus impediatur: veluti si is qui jus stillicidii immittendi in aream vicini, aut jus viæ habet, permittat in ea aedificare, stillicidii aut viæ procul dubio servitus evanescit: nā alioqui otiosa & inutilis ea esset permissio *l. stillicidii. 3. quib. mod. servit. amit.* Quod si donationis causa permiseris (inquit Pomponius) & interdicto agere non poteris; & servitus donatione tollitur, *l. si precario. 17. in si. comm. prædior.* Secundus modus est *confusio*: quæ accidit eo casu, quo idem utriusque tam dominantis quàm servientis prædii ex toto dominus esse, cœperit. *l. 1. quemad. servit. amit. l. si quis ades. 30. d. S. P. V.* Atque hinc ducta est illa communis juris regula: Ré suam nemini servire *l. uti frui. 5. si usus fr. per. l. in re communi 26. d. S. P. V.* Dicimus autem confusionem fieri per acquisitionem domini in solidum: quoniam, si pro parte tantum dominus fiat, per partes servitus retinetur. *l. ut pomum. 8. d. servitut. l. si cum servitus. 15. quemad. servit. amit.* Quare autem per partes retineatur, non etiam per partes acquiratur? ratio hæc evidenter docet: quod, qui acquirit servitutē pro parte, non potest aliter acquirere, quin simul alienæ etiam parti acquirat; sicut nec imponere pro parte potest, quin non alienam partem oneret. Nam quæcunque servi-



tus fundo debetur, omnibus simul eius partibus debetur. *l. via 23. §. f. d. S. P. R.* atqui nemo dominorum in re communi, jure servitutis quicquam facit invito altero *l. in re communi 26. d. S. P. V.* Retineri vero per partes potest: quia nulla pars est impedimento quo minus is, cui servitus constituta est, utatur servitute; non aliena, quia jam constituta est; non propria, quia res sua nemini servit.

XLIX. Et (3) Non utendo per modum & tempus.

Hoc modo servitutes tam urbanae quam rusticae amittuntur, sub hoc tamen discrimine: ut in rusticis solus non usus sufficiat; in urbanis vero etiam libertatis usucapio simul requiratur. *l. sequitur 4. §. si viam d. usucap. l. si sic constituta 7, l. si quis alia. 18. quemadm. servitut. amitt. l. hac autem jura. 6. d. S. P. V.* Modus autem hic amittendi bimestris est, (1.) si quis simpliciter non usus sit. (2.) si usus quidem sit, sed non praescripto modo. Simpliciter non utendo haec servitutes amittuntur, cum quis intra tempus statutum, puta decennium inter praesentes, & vicennium inter absentes, uti neglexerit *l. pen. & ult. C. d. servitut. & aq.* Quod si vero alternis tantum annis servitutis usus concessus sit, duplicato tempore constituto demum amittitur *l. si sic constituta 7, quemadm. servit. amitt.* Iter autem sepulchro debitum non utendo nunquam amittitur *l. iter 4. d. t.* Ad simplicem non usum referendi quoque sunt casus, in quibus quis uti servitute non potuit: puta fundo fluminis inundatione obruto. *l. si locus 14. quemadm. servitut. amitt. vel cum fons, unde aqua debebatur exaruit, l. unus 34 §. ult. & l. seq. d. S. P. R.* Idem est si aliam aquam quis usus sit, quam eam unde ipsi servitus constituta erat, *l. si quis alia 18. quemadm. serv. amitt.* aut si quacunque ratione per errorem aliter utatur *l. ult. eod.* Deinde modus quoque servituti adjectus sub poena amissionis servandus venit: Nam cum non utens amittat, cur male utens non amitteret? gravius quippe in committendo quam in omittendo peccari palam est. Hinc is cui certum vehiculi genus constitutum fuerat, si alio usus est, aut cui nocturna aqua constituta fuerat, si diurna usus est, servitutum amittit, *l. is cui 11. l. si communem 10. quemadm. servit. amitt. l. si prius. 17. d. aq. & aq. pluv. arc.* Plus vero minusve si quis in servitutis usu faciat, peccat quidem, non tamen amittit: veluti cum pecoris ad aquam appulsum habens plura pecora contra pactum appulerit, de quo vidimus supra th. 33. Et hoc loco obtinet, quod vulgo dicitur: Plus minusve substantiam nec mutare, nec constituere differentiam *l. ult.*

534.
n. 22.

l. ult. d. instruct. vel instrum. leg. Hinc qui iter & actum habet, si statuto tantum tempore ierit, actum non amisit: *l. qui iter. 2. quemadm. servit. amitt.* quoniam non fecit nihil, nec etiam aliud; sed tantummodo minus fecit.

In urbanis vero servitutibus amissio ob non usum tum demum obtinet, cum quis intra tempus libertatis prescriptioni jure prefinium, contra servitutum aliquid positum, fixum aut erectum habuit: siquidem in illis cessatio eius cui servitus debetur, ad servitutis libertatem usucapiendam non satis est, sed facto insuper opus est eius qui debebat, quemadmodum hoc Cajus per exempla satis manifeste ostendit *l. hac autem jura 6. d. S. V. P.* Itaque qui tempore constituto fenestras suas obstruxit, versus aedes eas, quae servitutum debebant aliter non tollendi, vel luminibus non officiendi: ita demum amittit servitutum, si adversarius interim aedes suas aliter sublatas habuerit *l. quod autem. 7. d. S. V. P.* & cum propter vicinitatem ignorantia praetendi nequeat; sed semper scientia ac patientia vicini concurrere videatur; hinc consequenter nec titulo, nec bona fide, cuius loco scientia est, opus erit. vid. Bach. *ad Tr. D. 17. th. 17. lit. B.* Ex Canonistarum tamen mente hoc casu bona fides in praescribente desideratur. Mart. *Laudens in repetit. l. servitutes 14. d. servitutib. n. 23.* & Franc. Balbus *tr. de. praescriptionib. part. tertiae part. 4. princ. q. 3. per. rot.*

L. Hi sunt modi proprii quibus servitus realis finitur. Addunt quidam interitum rei: quod cum limitatione tolerari potest. Sic ex jure Praetorio lege quoque conventionis servitus realis finitur. Non vero ut personalis servitus morte naturali aut civili amittitur.

Interitu rei servitutes reales amitti concedendum non videtur, cum subjectum servitutum, ipsum nempe solum, vix interire possit. Licet enim servitutes quaedam sint superficiei *l. servitutes praediorum 3. d. servitutib.* quae superficiei destructae collapsae & deperditae exerceri nequeant: tamen propterea non creduntur extinctae, cum etiam quodam respectu solo inhaereant, quatenus non ab aedibus hisce in individuo, sed quaecunque tandem areae impositae fuerint, debere intelliguntur, superficiei enim restituta, vel si novae aedae areae impositae fuerint pristina adhuc servitus debetur *l. si locus. 14. quemadm. servit. amitt.* Caeterum positus interitus rei terminis, id admittendum



erit, non enim subjecto corrupto salva eius accidētia manent: veluti si flumen ex agro alveum fecerit, tunc servitus fundi extinguetur *l. cum usumfructum. 24. quib. mod. ususfr. amitt.* quam sententiam etiam amplectitur Bachov. *ad. Treutl. d. D. 17. th. 16. lit. C.* Lege quoque conventionis aut constitutionis servitutes finitæ creduntur: adveniente videlicet tempore, ad quod constitutæ fuerunt; aut cessante cōditione, sub qua fuerunt constitutæ: nā quamvis ipso jure talis servitutis constitutio non subsistat: prætoriā tamen æquitate eiusmodi pacta sustinentur, ut, qui ultra quam placuit seu conventum est uti servitute velit, exceptione repellatur *l. servitutes ipso quidem jure. 4. d. servitutib.* Sed morte naturali vel civili dominantis, (puta capitis deminutione *l. verum est 63 § fin. pro socio*) hæc reales servitutes nō amittuntur, *l. jura prædiorum. 3. quemadm. serv. amitt.* cum personis enim quæ personalia sunt extinguuntur. *l. 1. § fin. d. aq. quotid.* Servitutes autem prædiorum prædiis ipsis inhaerent, quorum conditio ad personam sortem non mutatur: cum nec mors, nec capitis deminutio in ea cadat. Et hæc sunt quæ hac vice rectè sentientium dextræque judicantium censuræ submittere voluimus, quæque pro instituti nostri ratione proponere potuimus: quare immortalibus Divino Numini gratias actis, hinc pedem figimus,



AD



535.

n. 22.

A D

Pracellentem & Eximium

**Dn. HERMANNUM
HOPFNERUM,**

CONVICTOREM MEUM EX-
optatissimum, De Servitutibus dispu-
tantem.



DE Servitute dum disertè disputas
HOPFNERE, Themidis Prolytarū haud ultime,
Non quæ servire proprio Domino solent,
Sed quæ molesta, quæque sunt incommoda,

Et alterius in gratiam quæ sustinet

Possessor, hæc ex intimo jure cruvis.

Speciesque plures servitutis explicans,

Dulci quidem doctoque cuncta pectore

Proponis: at, quod pace dixerim tua,

Omittis unum, quod tua tamen interest.

Amplissimum videlicet Campum Themis

Cum larga messe possidet, per quem frequens

Non semita est modo facta, sed patet via.

Et, nescio quo jure, ni sit servitus,

Vel servituti simile, qui viam terunt,

Impunè falcem frugibus subdunt suam,

Metunt-



Metuntque colliguntque tanquam proprium.
Cumque ipse sis ingressus istam semitam
Themidis in arvo, juris & prudentiæ
Jam plurimos collegeris tibi mergites,
Refert tua docere, quæ liceat tibi.
Aut servitutis jure concedit Themis;
Aut servus es illius; at non hoc; quia
Tuo laboras commodo: ergo est alterum.

Veniam, quod hæc, Hopfnere, profero dabis.
Non enim Themidi molesta hæc Servitus,
Sed grata, sed accepta; sed adeo placet,
Ut, strenuè si pergis istam regiam
Legum viam percurrere, atque manipulos
Frugum bonarum, quas serunt Antistites,
Colligere, te (quod aprecamur) sit brevi
Totius agri constitutura Dominum,
Cum præmio, omnibusque privilegiis.

*Boni ominis & gratulationis
ergo*


Scripti

M. Joh. Matthias Schneüber P. L. Poës.
in Gymn. Arg. Pr.

F I N I S.

X 2615944

WOM



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
B.I.G.
Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

E
UTIBUS
LIBUS
O JURIDICA,
A M
Deo T. O. M.
RESIDE
no, *Excellentissimoq; Viro.*
ONE TABORE,
PLACITORUM FEU-
errimo, Patrono & Præce-
observantiâ profe-
ndo,
ciendam proponit
fener HANNOVERA-
IUS SAXO,
Resp.
io Majori.
-3. Augusti. 76ij .
TORATI
PHILIPPI MÜLBI,
YPOGRAPHI,
OG. XLVII.

511.

n. 22.

1647.5.

Jen. XVII.

